

115
Nat.
MONV
LECTI
lib.





CHRISTFRIEDI
WÆCHTLERI
LECTIONUM


GROTIANA-
RUM

LIBER PRIMUS,

Ubi loca extantiora & hactenus
controversa, potissimum in-
spiciuntur.

LIPSIÆ,

Literis JOH. ERICI HAHNI,
cdo Idc LXXX.



CHRISTIAN
BIBLIOTHECA
MAGNANIMA
MUSEI
SACRILEGII

in
-
-

1771
1771

F

C

I

I



CONSILII
ELECTORALIS
SAXONICI
SANCTIORIS
DIRECTORI,

CÆTERISQVE
CONSILIARIIS STATUS
ATQVE ADMISSIONIS
INTIMÆ,

VIRIS

ILLUSTRISSIMIS, PER-
ILLUSTRIBUS, EXCELLEN-
TISSIMIS, EMINENTIS-
SIMIS,

DOMINIS SUIS GRATIO-
SISSIMIS, MÆCENATIBUS
MAXIMIS,

CONSTANTEM FORTUNAM
precatur

CHRISTFRIED WÆCHTLER.

DOMINI GRATIOSISSIMI,
MÆCENATES MAXIMI,

SI in eruditionis alicujus testimonium obtutui Vestro exponeretur libellus hic, majus fortunâ meâ facinus non possem non videri aggressus esse. Non debent coram tanto SENATU commemorari aut divitiæ, aut aperiri consilia, aut monstrari artes Operis Grotiani: tam VOBIS utpote cognitis perspectisq; singulis, quàm ipsi, dum viveret, Grotio. Quumque adeò facti sint non inter suos tantum, sed publicè etiam, voce calamoq;
Viri,

Viri, quos hoc seculum vidit, doctissimi, non fuisse fastigio dictionis Grotianæ parem ubique industriam suam, eripiendus è manibus fuerat Grotius, si quem præpostera commentandi libido denudò inceffisset. Sed enim optima quæq; discendi appetitu uti in decoris ingeniiis delectantur Viri ubique Maximi, ita referri aliò non patiemini, Illustrissimi DOMINI, MAECENATES SUMMI, quicquid hîc à me annotatum videbitis. Magnas cogitationes non faciunt facile nisi magnæ ærumnæ. Et qui, quicquid moliuntur, sciunt se improsperè moliri, possunt dispendia successuum, cœptorum gloriâ solari quodammodò & nobilitate causæ, quam meditationibus suis præstituerunt. Enimverò non est inter tyrocinia, absconditum Juris Belli ac Pacis. Unde sicut potissi-

ma ejus inspectio mediô Reipubli-
cæ tractatu cernitur ac expeditur;
ita VOBIS eam, DOMINI, fervan-
dam propriam, submissâ animi
veneratione profitemur. No-
stræqve adeò partes in tam illustri
argumento non sunt aliæ, quàm
ut mentem Autoris, qui isto ope-
re omnem simul Jurisprudenti-
am incomparabiliter adjuvit, be-
nignâ rerum atqve verborum æ-
stimatione, cum sensu tamen ali-
quò rectè secusq; propositorum,
conjectemus. VESTRA interim
curâ, VESTRISQ; artibus Pax Bel-
lumqve librantur. Et hæc est
arcana illa laus, quam dudum se-
posuit VOBIS OPTIMUS
PRINCEPS: *in hieme mariqve
scopuloso navem servasse, & adhuc
servare.* Scrib. Dresdæ 1. Maij
1680.

Ex literis

DN. D. VAL. ALBERTI,
P. P. Lipsiensis, ad Autorem datis
Lips. 15. April. 1680.

Q*uam dextrè de Jure Belli & Pacis (nam hunc arbitror inter ejus Libros optimè à foeturâ natum) differuit! Sic exclamat in honorem H. Grotii Alexander Morus in Calvino, sive Oratione Apologeticâ pro Calvino p. 74. Vox, quam non pauci faciunt suam, postquam ipsi priùs toti facti sunt Grotiani; nec falsè, nisi prorsus eximium à falsitatibus jactitet scriptorem humanum, & imprimis in Divinis doctrinis perversè institutum. Excessum nimirum, quem vòcant, quiq; ex abundantia amoris in Autorem apud nonnullos nasci solet, prudenter evitandum esse intelligis; nec minus defectum, ut errores ejus ex odio aut solo contradicendi studio in immensum ne multiplicemus. Nosti illud Poëtæ: *Medium tenuere beati. Bene sperandum de hominibus*; quod Grotii dictum in hoc ipso opere, tametsi de aliò argumento L. II.*

c. 4. §. 8. à me adhiberi sæpiùs in exami-
 nandis aliorum sententiis, jam pridem ex
 ore meo audivisti. Te verò, Mi Wæcht-
 lere, numero omninò inter eos, qui viâ
 Regiâ hîc incedunt, & sine ira studioqve
 solilitant veritati. Hominem enim ex
 aberrationibus agnoscis Grotium, & fa-
 teris esse; nihil tamen, quod reverà non
 commisit, pateris ipsi per injuriam im-
 putari; egregio, inq; foro ipso haud pa-
 rùm efficaci artificio usus, Grotium ni-
 mirum explicans & defendens per Gro-
 tium ipsum; quod in eruditissimis hisce
 Notis Tuis mihi quidem maxinè placuit
 valdeqve approbatum fuit. Vetus est
 monitum Plinii Junioris Epistolar. lib. II.
 5. *His Tu, rogo, intentionem scribentis ac-
 commodas.* Quod dum Tu, Cl Wæcht-
 lere, magnâ curâ fecisti, & lectum esse à
 Te diligenter Grotium, & rectè intelle-
 ctum esse, haud obscure ostendisti; ut
 spicilegium hoc Tuum, quod post tot
 Commentatores instituisti, Viris
 doctis & probis non possit dis-
 plicere. &c.

I. N. J.



I. N. J.

Ad Titulum Operis Grotiani
de Jure Belli & Pacis.



Tem juris publici precipua)
Secernit Grotius Jus pu-
blicum à Jure Naturæ &
Gentium, eo sensu, quem
ipse exponit in proleg. §. 59.

*Debent, qui negotia publica tractant, tan-
quam in uno conspectu hinc habere duo, &
quæ incidere inter populos ac Reges solent
controversiarum genera, (hæc sunt præ-
cipua illa juris publici, quorum multa
non attigit Albericus Gentilis, §. 38.) &
principia, unde illa judicari possunt : (ton-
tes dijudicationum §. 39.) Jus nimirum
illud, quod inter populos plures aut populo-
rum Rectores intercedit, sive ab ipsâ naturâ
profectum aut divinis constitutum legibus,
sive moribus & pacto tacitò introductum.*

A 5

§. 1.

7.

§. 1. *Quibus cognitis facile erit, ad rem subjectam, i. e. ad factum singulare, §. 58. accommodare orationem, & quantum lubet, extendere. Aliter Henricus Henniges: Et Gentium (hic omittitur tō item) Juris publici: id est, Juris Gentium. p. 2.*

AD PROLEG:

§. 1.

S*ive ab ipsâ naturâ profectum) Qui negant, etiam inter populos plures intercedere jus aliquod à Naturâ profectum, illi meliore debent demonstratiōe uti, quàm istâ: Solam civitatem esse societatem naturalem & perfectam, atq; adeò sufficere Jus civile, & ad ejus imitationem procedendum esse etiam circa Jus Gentium. Sic enim controversiæ Regum ac populorum nimium quantum diversæ, definiendæ erunt ex legibus cujusque civitatis propriis, quod nemo admiserit. §. 54.*

& pacto tacito) cum mutua scilicet obligatione, & tanquam ex condicō. Quod enim populi alii aliorum imitati-
one

one aut fortuitò receperunt, non est Juris Gentium, propriè talis. §. 53.

§. 5. *Cùm verò frustra*) Concedit *Feldenus*, probare *Grotium*, dari aliquod Jus Naturæ; non item, dari jus quoddam naturæ conveniens, quò societas Gentium dirigatur. Dico, utrumque probari. Alterum à §. 5. ad 16. Alterum à §. 18. ad 27.

§. 7. *Ex principio aliquo intelligente extrinseco*) Non recurrendum hîc est vel ad formam aliquam assistentem, vel ad Angelum, aut mentem separatam. Neque urgendus contra *Grotium*, quasi dissentientem, instinctus naturæ. Quem ipse in brutis ultrò agnoscit II, 7, 4, 2. Eâ de causâ, instinctu scilicet naturali, cetera quoque animantia proli suæ, quantum necesse est, alimenta suppeditant. Mox: Hoc est illud Jus naturale, quod, cùm instinctus naturæ aliis quoque animantibus commendat, nobis ipsa præscribit ratio. Hîc autem dicuntur actiones brutorum, quatenus studium utilitatum suarum temperant, procedere ex principio aliquo intelligente extrinseco, ut innuatur,

instinctum istum in primordio rerum
 ipsis ab Autore naturæ, DEO, non mi-
 nus impressum, quàm homini inscripta
 sunt præcepta juris generalia. Jam sic-
 ut jus naturale, quàmvis ex principiis
 homini internis profluit, DEO tamen
 meritò adscribitur; § 12. ita imitamenta
 virtutis, quæ in brutis deprehenduntur,
 quàmvis proximè veniant ex instinctu
 naturæ, ad Deum tamen ultimò rectè
 referuntur.

idemque de infantibus dicendum) Lau-
 dat Grotius *Plutarchum*, quòd in infan-
 tibus prudenter observaverit propensi-
 onem quandam ad aliis benè facien-
 dum, etiam ante omnem disciplinam.
 Ubi non videtur ab eò peccatum origi-
 nis elevari: de quo extat illustris locus
Tertulliani II, 2, 1. in not. sed in disputa-
 tione contra Philosophum Gentilem,
Carneadem, existimo voluisse Grotium
 uti instantiâ, quàm alius Gentilis, *Plutar-
 chus* sc. insinuat. Sed & *Chrysostronus*
 docet, à naturâ nobis data ad virtutem
 femina. *cap. 1. ad Ephes.* citante Grotio
in not. ad §. 6. Utrum verò motus & a-
 ctio-

etiones infantum ante regenerationem DEO placeant, hinc non disquiritur.

§. 8. *Fons est ejus Juris*) Qui Deum dicunt fontem esse Juris Naturæ, Grotio quidem non contradicunt, sed vocabulum fontis pro Autore usurpant. Et DEO sanè meritò adscribitur jus naturæ; quia ut talia principia in nobis existerent, ipse voluit. §. 12. tanquam opifex, cui nos nostraque omnia debemus. §. 11. quoniam tamen inter ipsa illa principia ordo quidam est, II, 20, 43, 1. fons appellatur, ex quo præcipua eorum profluunt. Sic fontes dijudicationum § 39. exponuntur principia, unde controversie juris publici dijudicari possunt. §. 59. Sic jura Civilia dicuntur fluxisse ab hoc fonte, quòd juris naturæ sit, stare pactis. §. 15. Cùm jus civile condatur ab eo, qui civitatem regit. I, 3, 6, 2. Hinc Grotius duplicè quoque fecit originem juris: alteram naturalem §. 8. alteram divinam. §. 12. Naturalem indicat *vis socialis*, §. 9. *affectus socialis*, §. 14. sive *appetitus societatis*, isque non qualiscunque sed excellens, §. 7. & *appetitus communitatis non cujuscunque*, aut in-

differentis, sed tranquillæ, & pro humani intellectûs modô ordinatæ. §. 6. Ab hoc fonte fluit jus naturale - sociale, id quod propriè tali nomine appellatur. §. 8. & 12. in eo positum, ut, quæ sunt alterius, alteri permittantur aut impleantur. §. 10. five, ut nemo lædatur, & suum cuiq; tribuatur. Huc pertinent alieni abstinentia, & si quid alieni habeamus, aut lucri inde fecerimus, restitutio, promissorum implendorum obligatio, damni culpâ dati reparatio, & pœnæ inter homines (civiliter consociatos) meritum. §. 8. Neque ulla est actio hominis externa, quæ non spectet aut ad societatem humanam, aut ad hominem alterum. II, 5, 23. & II, 20, 20, 1. Atque ista juris capita universalissima sunt, pertinentque ad illos omnes, qui nostri, i. e. humani sunt generis. *prol.* §. 6. Ab hâc Juris significatione propriè dictâ fluxit altera largior. Quatenus enim homo consideratur non tantùm ad alium, quò pertinet jus sociale, sed & ad se ipsum, eatenus habere intelligitur iudicium ad æstimanda & dirigenda ea, quæ ipsi obveniunt,

niunt, pro humani intellectus modo. Et quod tali iudicio, rectè conformato, planè repugnat, hætenus etiam contra jus naturæ esse intelligitur. §. 9. & 10. Atque huc referuntur omnia illa præcepta, quæ nosmetipsos respiciunt. Altera juris naturæ origo divina est. §. 11. & 12. secundum quam jus naturæ à DEO est, ei que meritò adscribitur. Ille enim præcepta ista nobis in sevit. Quandoquidem autem simul ostendit, se & opificem esse, & optimum ac potentissimum, non potuit non in nobis istud simul principium nasci, DEO sine exceptione parendum: quò pertinent omnia præcepta naturalia de DEO amando, timendo, colendo.

§. 9. *Sed & iudicium*) Hoc iudicium, ex mente Grotii, æstimat non tantum præsentia, quæ delectant & nocent, sed etiam futura, & media, quæ in utrumvis, huc aut illuc, possunt ducere. II, 24, 5, 1. Quod opus est aliàs prudentiæ vel providentiæ rectoricis. I, 1, 8, 1. Dirigit præterea affectus, & conformat illos ad mensuram & normam intellectus humani:
ut

ut nec metu aut voluptatis illecebra cor-
rumpamur, aut temerario rapiamur im-
petu. Ad hoc iudicium pertinet etiam
prudens dispensatio in elargiendis, quæ
cuique homini, & distribuendis, quæ
cuique cœtui propria sunt. §. 10. Hic
præludit Grotius disputationi Anti-Ari-
stotelicæ, quam instituit §. 43 seqq. item
I, 1, 8. Quùm enim destinasset rejicere
doctrinam Aristotelicam de mediocri-
tate actionum humanarum, cum eaque
discrimen tum inter iustitiam universa-
lem & particularem, tum & species ju-
stitiæ particularis inter se, ab Aristotele
positum, omnia ista reducenda sibi pu-
tavit ad Jus naturæ. Et secutus vide-
tur, quoad Iustitiam universalem, Philo-
sophos Veteres ante Aristotelem, qui
partes ejus integrales fecerunt tres reli-
quas Virtutes Cardinales, Prudentiam,
(licet hæc sit virtus non moralis, sed in-
tellectualis,) Fortitudinem & Tempe-
rantiam. Prudentia æstimat præsentia
& futura, quæque in utrumvis possunt
ducere. Fortitudo facit, ne metu cor-
rumpamur aut temerario rapiamur
impe-

impetu. Temperantia facit, ne voluptatis illecebrâ corrumpamur. Circa justitiam particularem ita distinxit Grotius commutativam seu explettricem à distributivâ seu attributrice, ut ad illam referret, quæ ex jure propriè strictèque dicto, sive ex jure naturali sociali debentur, hanc autem associaret liberalitati, & reliquis virtutibus, quæ aliis hominibus utilitatem afferunt. *I, 1, 8, 2.* Nam jus naturæ, quatenus legem significat, non ea tantum respicit, quæ dictat justitia, quam explettricem diximus; sed aliarum quoque virtutum, ut temperantiæ, fortitudinis, prudentiæ actus in se continet, ut in certis circumstantiis non honestos tantum, sed & debitos. *II, 1, 9, 1.* Si enim quis quid debeat non ex justitia propriè dictâ, sed ex virtute aliâ, puta liberalitate, gratiâ, misericordiâ, dilectione; si tamen circa debita harum virtutum peculiare aliquod jus dent leges divinæ & humanæ, tunc nova debendi ratio accedit, quæ jam ad justitiam pertinet. *II, 22, 16.* Singula, ut putamus, ad mentem Grotii.

§. II. Lo.

§. II. *Locum aliquem haberent*) Ha-
berent haud dubiè valdè exiguum. Tam-
etsi enim efficere nemo possit, ut in lo-
cum principiorum naturalium, quæ
DEUS semel inscripsit, cordi suo inscri-
bantur principia illis contradictoriè op-
posita; quia tamen jus Naturæ sanctimo-
niam & observantiam suam præcipuè
habet à metu Numinis, II, 20, 44, 6. du-
bitandum non est, quin is, qui ponit eti-
am per impossibile, DEUM non esse, aut,
quod in genere morum tantundem va-
let, non curari ab eo amplius res huma-
nas, d. c. 20. §. 46. n. 2. Justitiæ in effectu
nil relicturus sit nisi nomen inane; ceu
exemplo Epicuri constat. d. §. 44. n. 4.

*Cujus contrarium cum nobis partim ra-
tio*) Non arbitror, rationem hîc à Gro-
tio sumi pro ratiocinatione discursivâ, &
quatenus notat opinionem acquisitam,
opponiturque notitiis innatis. Nam
& *Dion Prusæensis*, citatus II, 20, 46, 3.
Deos colere vocat δόξαν καὶ ἰπνοίαν
ἀναγκαίαν καὶ ἔμφυτον ἐν παντὶ τῷ
λογικῷ γινομένην κατὰ φύσιν. Et in
not. ad d. c. §. 45. n. 3. adducitur testi-
moni-

monium *Tertulliani adversus Marcion. 1.*
Nos defendimus, DEUM primùm naturã
cognoscendum, deinde doctrinã recogno-
scendum. Sequitur aliud Juliani ad He-
raclytum: πάντες ἀδιδάκτως εἶναι θεῶν
τι πεπεῖσμεθα, Omnes ante doctrinam
numen aliquod esse persuasi sumus.
 Sicut nec illud Grotio opponi potest,
 quod ipse *Aristoteles*, omnes homines de
 DEO quãdam ὑπόληψιν, Cicero, si-
 ne doctrinã anticipationem DEI, five
 πρόληψιν habere, nec ullam gentem tam
 feram tam immanem esse asserat, cujus
 mentem non imbuerit DEorum opinio.
1. de Nat. Deor. Nam ipse Grotius istum
Aristotelis locum adducit *II, 20, 45, 4.* u-
 bi prætereà ex *Dione Prusæensi* disertè
 distingvitur inter ὑπόληψιν de DEO
 nobis cognatam, & acquisitam ex tradi-
 tione. Similiter libri *Ciceronis de Nat.*
DEorum, uti & *de Inventione*, in eandem
 rem citantur *d. §. 46.* In annot. *ibid.* ha-
 betur porrò testimonium *Senecæ* planè
 parrallelum, ac postremò istud *Jambli-*
chi: DEUM nosse, ita homini est proprium,
ut hinnitus eqvo, h. e. ante omnem dis-
cursum ac disciplinam. Et

Et voluisse credi debeat) Nimis benignè de Theologia Grotianâ sentiunt, qui ex his verbis colligunt, eum statuisse, non animæ modò immortalitatem ex lumine naturæ esse cognoscibilem, sed & beatitudinem æternam. Suspikor autem, Photinianismum potius hîc latere: quem apertius prodidit in fine cap. i. lib. i. quasi scilicet promissiones cœlestes in Evangelio multò clarius proponantur, quàm in lege Veteri, & supplicia, quæ impios post hanc vitam manent, in novo fœdere apertius quàm olim declarata sint. II, 21, 14, 3. Quas phrasas utrobiq; castigant Theologi. Ad eundem autem modum ait hoc locò: DEum multis modis (in antiqvo nimirum Fœdere) ostendisse, se sibi obedientibus præmia reddere maxima, etiam æterna posse, utpote qui se æternum ostenderit, & quod velit, credi debeat. Multò autem magis id ostendisse, postquam id disertis verbis (in Novo scilicet) promiserit: *quod Christiani*, NB. quæ tales, *indubitatâ fide testimoniorum convicti credimus*. Credendum ergò id ait fuisse & Patribus & Chri-

Christianis. Illos autem non vixisse in tantâ luce testimoniorum convincentium, in quâ Christiani vivant. Sanè inter pronunciata illa quatuor, quibus ex mente illius nititur vera religio, tertium est: *à DEO curari res humanas, & æquissimis arbitriis dijudicari.* Sed hæc dijudicatio in iis terminis accepta, in quibus supponitur, abstrahit ab æternitate & præmiorum & suppliciorum. II, 20, 45, 1. Imò si inter notiones naturaliter non æquè evidentes refert, *DEos plures uno non esse, d. c. §. 46. n. 1. & §. 47. n. 1.* quantò magis obscurum & incertum rationi putaverimus Grotio fuisse articulum de immortalitate animæ, & de vitâ æternâ.

§. 12. *Ex liberâ DEI voluntate*) Hoc vult: Si vel maximè justitia illa naturalis, secundum quam abstinemus alienò, & suum cuique tribuimus, summa esset stultitia, quod *Carnades* voluit §. 5. sapientiæ tamen foret, eam sectari, vel unicè propter imperium DEI, autoris & naturæ ipsius, & juris naturæ. §. 18. Quamvis enim alienis commodis consulendo nobis ipsis videamur nocere,
sibi

sibi tamen obedientibus præmia redde-
 re maxima, etiam æterna, & posse Deum,
 & velle Deum. In hunc modum si expo-
 natur *libera voluntas DEI* circa jus na-
 turæ, non repugnabunt, quæ Grotius
 I, 1, 10, 2. rectè tradidit: *Jus moraliter
 bonos vel malos à DEO necessario aut ve-
 tari aut præcipi. Et: hoc discrimine inter-
 nosci jus divinum voluntarium à jure na-
 turali, quod item divinum dici potest, ortu
 scilicet ex voluntate. lib. 1. c. 1. §. 15. n. 1.
 Et: obligationem, extra jus naturæ, venire
 ex voluntate legemferentis, ib: §. 16. n. 7.
 v. g. obligationem juris gentium, pro-
 leg: §. 40. item voluntarii divini, §. 48.
 & humani seu civilis. §. 31.*

§. 13. *Addictius regens*) Per illam le-
 gem DEI, quæ impetus s. affectus, quæ
 nobis ipsis consulunt, tanquam vehe-
 mentiores, addictius regat, videtur à
 Grotio præcipuè intelligi Lex dilectionis
 & Evangelica, quam ille à Lege Naturæ
 atque Hebraicâ semper distingvit. Er-
 rore vulgato, & à Theologis toties con-
 futato. Nos annotabimus tantùm, eum
 & hîc latere.

§. 15. *Deinde verò*) *Damus Feldeno,*
 eam confociationem, quâ multi patres
 familiarum in unum populum ac civita-
 tem coeunt, esse societatem perfectissi-
 mam, II, 5, 23. At falsum ideò non fit,
 quod hic ait Grotius, jura civilia fluere
 ab hoc principio naturali, standum pa-
 tris, & superioribus parendum. Nam
 qui se coetui alicui familiarum aggre-
 gant, hi aut expressè promittunt, aut ta-
 citè promississe intelliguntur, secuturos
 se id, quod coetûs pars major constitui-
 set. Et qui se homini hominibusve sub-
 jiciunt, illi similiter promittunt, aut pro-
 mittere intelliguntur, secuturos se id,
 quod is vel illi, quibus potestatem in se
 detulerunt, constituissent. Quod si non
 admittimus, dicendum erit, quod nemo
 dixerit: partem majorem sequi debere
 minorem, & superiorem eos, qui se ipsi
 subjecerunt. *Vid. II, 5, 17.* Frustrà autem
 exclamat idem *Feldenus: maxima miserrimaque*
veritatis naufragia facturum, qui
sectatus Grotium ad societatem quamcunq;
indeterminatam trahi naturâ hominem
statuat. Loquitur sanè Grotius non de
 alia

alia confociatione, quàm quæ juris fruendi causâ instituitur. Ab eâ ergò quis inferat ad societatem latronum vel prædonum? Demonstratâ enim existentia Juris naturæ, demonstrat connexionem Jurium civilium cum eodem jure naturæ, & quomodo hæc ex illô profluant. Res est plana.

§. 16. *Naturalis Juris mater*) Humana natura; non sanè efficienter aut privativè ad omnem causam anteriorem. Habet se enim in ordine ad suum Autorem, Deum, magis subjectivè: utpote qui solus voluit, ut talia principia in naturâ humanâ existerent. Unde, qui istis parent, Deo dicuntur parere, ut opifici, ei que se subicere. §. 11. & 12. Dicitur tamen natura *mater* justitiae, eo sensu, quo *Horatius & Carneades* dixerunt, utilitatem esse matrem juris & æqui. Illis enim contradicere *Grotius*, etiam quoad litteram voluit. Novum autem non est, subjecto tribuere, quod causæ vel Autori ipsi propriè ac principaliter debetur; maximè in oppositione ad alias non-causas. Notus est locus *Ciceronis*, & ab
omni-

omnibus laudatur: *Est hæc non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex naturâ ipsâ arripuimus, hausimus.* (tanquam ex fonte primævo, I, 1, 16.) Significantius sequitur: *ad quam non docti, sed facti, (à naturâ) non instituti, sed imbuti sumus.* Idem: *Hoc & ratio doctis, -- & feris natura ipsa præscripsit;* citante Grotio I, 2, 3, 1. Subjectum scripturæ, tabula, non præscribit legem, sed ei lex inscribitur. Repræsentare autem hoc loco est præscribere.

Civilis verò Juris mater) Est obligatio ex consensu & voluntate eorum, qui primi in civitatē coierunt. Obligatio enim juris naturalis omnem voluntatem nostram atq; consensum antevertit. Jus autem civile obligat ex consensu; quia nisi utilitate atq; necessitate humana exigente, in id consensum fuisset, ne quidem existeret. §. 17. Cavendum est igitur, ne hanc obligationem ex pacto & consensu primævo ortam confundamus, aut eandem esse putemus vel cum obligatione naturali, vel civili, vel mixta, quæ est distinctio Jctorum, *ad pr. §.*

B

de

de obligat. Quamvis verò Jus civile à voluntate humanâ proficiscatur, eatenus tamen vim suam ex ipso jure naturali habet, quatenus innititur generali huic axiomati sive præcepto naturali, pactis standum, & superioribus parendum. Itaque mater quidem juris civilis in genere accepti est primævus consensus & inde orta obligatio, fons autem sive proavia ejusdem, jus naturæ. Ex quo tamen non sequitur, omnes leges civiles, v. g. Romanorum, Hircanorum & Scytharum, vel alterius gentis, foetus esse Juris Naturalis, & in id, tanquam in principium suum radicale, necessariò reducibiles. Loquimur enim de fonte atque origine obligationis Juris civilis in genere, non de justitia vel injustitia legum civilium in qualibet Republicâ.

Voluit enim Natura Autor) Nō puto hæc esse adeò nitida. Vid. Velth. p. 415. Voluit enim id non ut Autor naturæ integræ, sed ut vindex corruptæ; sicut nec illud concedi debet: *voluit nos singulos esse, ergò miseros.* Nam primi homines, etiam ut singuli, nullâ re egebant ad vitâ rectè tuendam

dam necessariâ, ante corruptionem. Pertinet huc alius, sed paulò sanior locus ex c. i. de Mar. Lib. *Non vult DEUS ea cuncta, quibus vita indiget, omnibus locis suppeditari à natura: artibus etiam aliis alias gentes dat excellere. Quò ista? nisi quod voluit mutua egestate & copiâ humanas fovendi amicitias, ne singuli se putantes sibi ipsis sufficere, hoc ipso redderentur insociabiles. Nunc factum est, ut gens altera alterius suppleret inopiam, divina JUSTITIÆ instituto, ut eo modo quod genitum esset uspiam, apud omnes naturam videretur.*

Deinde & qui jura præscribunt aliis)
 Habent hæc verba sensum hunc simplicissimum: juri civili occasionem dedisse utilitatem; nam & ab inferioribus hanc spectari, qui se aliis consociant aut subji-
 ciunt, & à superioribus, qui aliis jura civilia præscribunt, aut debere tamen spectari, tanquam à Bonis legislatoribus. Ex regula non prudentiæ tantum, & Caritatis, sed etiam justitiæ rectoriæ, quæ ex ipsâ regiminis naturâ superiorem non minus ad curam pro inferioribus,

bus, quàm inferiores ad obedientiam obligat. *II, 24, 7.* vel ex motivo alterius alicujus virtutis. Per hæc omnium minimè tollitur aut discrimen imperii herilis à civili. *III, 8, 2, 1.* aut discrimen imperiorum civilium inter se. Etsi negandum non sit, in plerisque imperiis respici per se utilitatem eorum, qui reguntur, & reges justitiæ fruendæ causâ constitutos. *I, 3, 8, 14.* Neque ideò dixit Grotius, legem, quæ utilitatis publicæ causâ lata non sit, non obligare in conscientia: dummodò non jubeat aliquid, quod sit manifestè iniquum. *d. c. 3. §. 9.* Nam extra hunc casum valet canon juris naturæ: pactis standum, & superioribus parendum.

§. 17. *Quam partem Juris*) Carpit Autor *Carneadem*, quòd jus omne distribuerit in naturale & civile singulorum populorum, nullâ factâ mentione Juris Gentium. Quod ultimum *Aristoteles* etiam fecit, subdividens jus politicum in naturale & legitimum. *5. Nicom.* 6. Grotius autem *Jctos Romanos* sequi voluisse videtur *Feldeno*, ad *b. l.* Sed ille
qui

quidem nec Aristotelem secutus est per omnia, nec Jctos Romanos. Non illum; etsi partitionem ejus laudet *I, 1, 9, 2*. Vide discrimen triplex, quod observavit Vir harum literarum callentissimus, *Jac. Thomaf. Annot. 115. ad Phil. Pract. n. 4*. Nec hos: à quibus manifestè discedit *d. c. 1. §. 11. n. 1*. ac toties alibi. Ceterum ut Jus Gentium pro peculiari specie juris agnosci queat, opus sanè non est, fingi cum Feldeno magnam civitatem magnarum civitatum aut Rerumpublicarum, saltem Christianarum. In quâ lites, inter Reges Christianos, non bellis, sed judiciis finiantur, tanquam apud Regem Regum. Id enim foret non Jus Gentium propriè sic dictum, sed jus civile plurium Gentium, *II, 3, 5*. Lex civilis multarum nationum. *II, 8, 1, 1*. Jus Gentium autem est species Juris æqvatorii, non rectorii. *I, 1, 3, 2*. debetque versari inter populos liberos, quâ tales sunt, quâque actus eorum alterius imperio non possunt reddi irriti. Aristoteles autem juri civili & legitimo terminos posuit nimis amplos. Reduxit enim ad

illud non modò jus peregrini cum peregrino, sed & jus hostis cum hoste. *d. l. 5. c. 7.* quod ipsum in *Jctis antiquis* taxat *Grotius prol. §. 53.*

§. 19. *Ad ea duntaxat instituta & leges*)
 De legibus aliisque institutis civilibus, quà talibus, verum est, ea inventa esse, usu & necessitate humanà sic exigente. Dum verò inter instituta ista ipsam quoque institutionem judiciorum refert *Grotius*, præstruere vult fundamentum sententiæ de origine potestatis civilis, infra tradendæ. *I, 4, 7, 8.* At enim quæ nos natura, etiamsi re nullâ indigeremus, ad societatem pro humani intellectus modò ordinatam, & ad vitam rectè tuendam sufficientem, ferret, §. 6. & 16. ea quoque, etiamsi vis ac metus omnis abesset, ferret nos ad talem societatem, in quâ essent judicia, sive in quâ esset relatio partium inter se earum, quæ regunt, & quæ reguntur. *II, 9, 8, 2.* Postquam autem singuli validioribus impares sumus, non fert nos amplius natura ad sectanda tuendaque judicia, sed rapit. *d. §. 16.* Habent hæc tamen vim atque auto-

auctoritatem suam à Deo tam verè, quàm
 judicia omnium prima, in populo Ebræ-
 orum à DEO diu ante Mosen instituta.
 Nam citra reverentiam imperii famili-
 am vel societatem continentis, h. e. abs-
 que judiciis, vita humana tuta esse non
 poterat. *l. 2, §. 5. & 7.* Deinde lex Mosis
 de judiciis habuit expressam imaginem
 divinæ voluntatis, non nudæ permissio-
 nis. *ibid. n. 10.* Ergò judicia humana in
 genere non debent referri inter institu-
 ta aut inventa merè humana, quæ Deus
 velut ex post-facto demùm approbaverit,
 sed ad ea, quæ Deus inter homines insti-
 tui semper voluerit. Quæ enim veniunt
 ex voluntate DEI tantùm approbante,
 illa cadunt in genus aliquod permissio-
 nis, & relinquitur hominibus circa ea li-
 bertas non contrarietatis modò, sed &
 contradictionis. Quæ autem DEUS per
 Mosen disertè præcepit, adjectis iis rati-
 onibus, quæ apud alios populos non mi-
 nus valerent, quàm apud Ebræos, *d. §.
 5. n. 9. & §. 7. n. 6.* ea DEUS vult ab o-
 mnibus populis fieri. Recta enim est
 conjectura voluntatis divinæ, quàm

ipsa naturalis ratio adjuvat, quæq; nos
 docet à similibus procedere ad similia,
I, 2, 5, 7. Denique si lex Mosis non per-
 mittit iudici, sed imperat, ut puniat sive
 homicidam sive alium reum, *ib. n. 8.*
 si & Christi præcepta cum eâ lege per o-
 mnia consistunt, non licet jam amplius
 aliis populis, eandem legem imitari, *II,*
20, 10, 8. sed ad evitandam maximam sce-
 lerum licentiam, & quasi diluvium ma-
 lorum, necesse est eam sequi. Nam &
 nunc quoque constitutis judiciis ægré
 reprimitur improbitas. *I, 2, 7, 6.* nec in-
 ter tot cruces & supplicia fontium satis
 tuta est innocentia. *II, 20, 12, 2.* Suppo-
 nimus autem, Grotium, quando hîc de
 institutione judiciorum humanorum in
 genere loquitur, non intelligere simplici-
 ter illa judicia forensia, ubi lites priva-
 torum ventilantur ac deciduntur, sive,
 ubi jurisdictio, strictissimè sumptô voca-
 bulô, exercetur: sed complecti sub eâ
 institutione introductionem totius illius
 ordinis, qui est inter imperantes & pa-
 rentes, quiq; adhuc instituendus fuit.
 Nam in societate civili & perfectâ, jam
 insti-

instituta sunt judicia forensia; neque instituuntur ibi à privatis, inter se conspirantibus, sed à rectore societatis; cujus quoque unicè est, eadem contra quoscunque tueri: quia id fieri ab eo, publicæ quietis interest. I, 3, 6, 2. Sic administratio & finis horum judiciorum non eò tendit, ut quibus singuli pares non sunt, his universi prevaleant: ita enim vinceret non bonitas & justitia causæ, sed vis major, nec sententiâ judicis terminarentur lites, sed magis ferro. Patet, quod diximus, ex oppositione, quam instituit Grotius §. 21. inter exactionem justitiæ à civitate, intra se, & in ordine ad cives consideratâ, & inter exactionem justitiæ ab eâdem, spectatâ extra se, & foràs, ad alias magnas civitates, sive Gentes & populos liberos. Cum his intercedit civitati jam perfectæ jus commerciorum, belli, foederum. Cum civibus autem in universum, illud jus, quod civium utilitatem respicit, & intra fines civitatis concluditur. §. 22. Similiter I, 2, 1, 6. *societas, inquit, eò tendit, ut suum cuique, Salvum sit, communi ope ac conspiratione.*

B 5

sive:

five: conspirarunt inter se, qui extra societatem erant, ad instituenda ac communibus viribus tuenda judicia. Quod alibi sic extulit: *Experimento infirmitatis familiarum segregum adversus violentiam, in societatem civilem coierunt homines: atque hoc salubre institutum hominum DEUS probavit. I, 4, 7, 8. adde II, 20, 40, 4. in fine.* Ratio autem styli istius Grotiani hæc fuisse videtur, quia judicia sunt character civitatis. *Civitas, inquit, quanquam graviter agrotata, civitas est, quamdiu manent leges, manent judicia, & quæ alia necessaria sunt, ut ibi jus exteri consequi possint, non minus, quam privati inter se. III, 3, 2, 2.* Exteris autem jus redditur partim secundum jus naturæ, partim secundum pacta cum quibusque inita, aut secundum mores. *d. §. 2. n. 1.* Qui jus hõc modõ non reddunt, civitatem non faciunt, nec vicissim Jure Gentium niti possunt, ut cætus pirvatarum & latronum. *II, 18, 2, 3.*

§. 25. *In eos, qui judiciis coërceri nequeunt*) Sermo est non de iis, qui in judiciis forensibus aut coram arbitrīs litigant:

gant: qui, quæ tales, semper sunt pares; consentiunt enim in iudicem, coram quo litigant; Sed de iis nocentibus, ad quos compescendos arma sumenda sunt, si illi privati sint ac cives, si quicumque alii. Bellum enim est in nocentes multos & armatos, qui vires habent & ad resistendum audaciam, qui ut rei fiant, acie vincendi sunt. *I, 2, 7, 4.* Ubi iudicia deficiunt, aut non sufficiunt, incipit bellum. *II, 1, 2, 1.* Iudicia vigent & efficacia sunt adversus eos, qui invalidiores & sunt, & se esse agnoscunt vel sentiunt. Bellum adversus eos, qui ad resistendum pares se faciunt, aut esse putant: non præcisè in eos, qui pares sunt. Latent autem hæc initia doctrinæ Grotianæ de Bello punitivo in quoscunque nocentes; ad quod ille putabat sufficere, ut qui punit, ei, qui peccavit aut nocuit, subditus non sit. *I, 3, 21, 5.*

§. 41. *Discrevi id, quod verè & ex omni parte jus est*) Præmittitur operi distinctio iustitiæ internæ & externæ, quodque secundum alterutram iustum est vel iniustum. Prioris generis iustum, semper &

ubiqve & per omnia est tale: posterioris, utilitatis alicujus causâ, atq; ut in comoda gravia vitentur, pro tali habetur. III, 7, 6, 4. & III, 13, 2. Effectus, quem hoc justum habet, externus tantum est, & consistit aut in solâ agendi impunitate, aut in judiciorum tutela simul, nempe, ut ubiq; vi publicâ, & externâ judiciorum, agens contra omnes defendi debeat. III, 6, 2, 1. c. 7. §. 7. c. 13. §. 1. n. 2. Sicut autem justum internum valdè affine est justo illi naturali, quod in statu naturali obtinet, ita justum externum justo legali, sive, quod in statu legali reperitur, ex mente ac disciplina V. C. Jacobi Thomasi Tab. 23. *Phil. pract. lin. 40. Quia enim societati- bus humanis nihil exitialius est dissidio, vitandi aut definiendi dissidii causâ multa non tolerantur modò; (in statu legali, & hæc est agendi impunitas,) sed conniven- te quasi naturâ, juris etiam cujusdam auto- ritate & licentiâ muniuntur; (hæc est tu- tela judiciorum,) quibus aliàs, (in statu naturali) aut nullus erat futurus locus, aut non perinde illustris. Hactenus ergò su- pervacanea nō est ista distinctio duplicis status*

status, duplicisque justis; sed utilis ac necessaria ad plenè intelligendam diversitatem ejus, quod rectum justumque est, & ad æstimandum gradum perfectionis, secundum quem aliquid magis vel minus est tale. Sitque adeò non difficile, ad stricturas *Samuelis Pufendorfi, Diss. de stat. hom. nat. §. 2.* deinde & *Samuelis Strimesii, Diss. de primo B. Eth. subj. §. 15. seqq.* ex eadem illa disputatione, quam tanti Professores sub examen vocarunt, respondere, si quidem id nunc ageretur.

§. 42. *Verè Christianam tradere disciplinam*) Laudat Grotius libertatem veterum Christianorum, qui in nullius Philosophorum Gentilium sectam juraverint. Existimasse enim illos, id demùm esse disciplinam sibi convenientem, ac verè Christianam tradere, si ex quâlibet sectâ id retinerent, quod in eâ verum deprehendissent. Vult igitur, veteres Christianos in Philosophiâ fuisse Eclecticis. Quod de plerisque Patribus Ecclesiæ primitivæ *Hornius* etiam testatur *Histor. philos. lib. 5. c. 4. p. 27.* & *Heins. de Satyr. Horat. p. 129.* Ipse Grotius in not. nomi-

nat ex iis *Lactantium*. Cujus locus integer lib. 7. div. instit. c. 7. sic habet : Facile est autem docere, penè universam veritatem per Philosophorum sectas esse divisam. Non enim Philosophiam sic nos (Christiani) evertimus, ut Academici solent, --- sed docemus, nullam sectam fuisse tam deviam, nec Philosophorum quæquam tam inanem, qui non viderit aliquid ex vero. ---
 Quod si extitisset aliquis, qui veritatem sparsam per singulos, per sectasq; diffusam colligeret in unum, ac redigeret in corpus, is profectò non dissentiret à nobis. Pleraq; horum Grotius sua fecit. Quod autem adjecit : id verò existimabant nihil esse aliud, quàm verè Christianam tradere disciplinam : id sumptum videtur ex iis, quæ statim sequuntur apud *Lactantium* : Sed hoc nemo facere, nisi veri peritus ac sciens potest. Verum autem scire non nisi ejus est, qui sit doctus à DEO, h. e. non nisi Philosophi Christiani. Loquitur itaque & *Lactantius* & *Grotius* de Philosophia Christianorum, non de Christianismo, qui ut talis, totus hauritur ex Verbo & revelatione D'EI. Philosophiæ autem

autem Christianæ sufficit, non repugnare verbo ac revelationi DEI. Quam Philosophiam dum disciplinam vere Christianam appellat Grotius, facit id eâ ratione, quâ §. 29. dixerat; *disciplinam Christiani in omnibus hominibus diligendis præcipuè consistere*: non quòd totus Christianismus in eo consistat, sed quòd id hominem Christianum omnium maxime deceat, quamvis id à Gentilibus etiam fieri debere, ipsa dicat recta ratio. §. 6. Similiter Christiani potissimum Philosophi est, ex omni sectâ verum colligere, etsi ipsos Gentiles idem facere, æquum fuerit. De fide autem, & reliquis articulis doctrinæ Christianæ, ut sic, fatetur Grotius cum *Tertulliano*, loco in not. adducto: *nulli hominum* (multò minus ulli sectæ Gentilium Philosophorum) *universitatem spiritualium documentorum competere, nisi in CHRISTUM*. Et hæc est summa libb. Grotii de Verit. Relig. Christianæ.

§. 43. *Naturam ipsam virtutis*) Dubium non est, hæc verba, sumpta prout jacent, satis ambigua esse. Ideòq; Aristotelicum
cum

cum curâ quâdam & diligentia docent, mediocritatem actionum humanarum, à rectitudine earum, & congruentia cum rectâ ratione ejusque dictaminibus, quoad rem non differre. Ut negandum non sit, doctrinam hanc Aristotelis & defendi posse & tolerari; per eam verò universam naturam, principia, fontes, regulas denique & præcepta Philosophiæ moralis, uti nunc traditur, aut tradi debet, exhauriri, vel absolvi, non facile dixeris. Sanè verò plura huc requiruntur, quàm doctrina de ordinando appetitu ad mediocritatem.

Putâ liberalitatem & parsimoniam) Hanc litem dicunt Aristotelici esse de vocabulo. Debere enim parsimoniam ita definiri, ut actus ejus fiant etiam actus liberalitatis,

Et veritati) Urgebunt Aristotelici discrimen inter veritatem & veracitatem; illam esse virtutem homileticam, de eâque sermonem hinc institui, non de hac, quæ ad justitiam particularem pertineat.

Nicom. 7.

§. 44. Desilire de genere in genus alterum)

rum) Est hîc sanè concedenda exceptio à regula; sed juvant causam Aristotelici per distinctionem mediocritatis in sensu subjectivo & effectivo simul, & in effectivo tantùm acceptæ. Posteriores dicunt sufficere justitiæ.

Propriè ad injustitiam pertinere non vult) Hîc certum est, ipsum Aristotelem distinxisse justitiam universalem à particulari. *5. Nic. 2.*

S. 45. Sed recta ratio) Aristotelici etiam rectam Rationem faciunt principium virtutis dirigens actuale, sicut prudentiam habituale.

In quibusdam ad summa incitat) Negant Aristotelici, mediocritatem debere accipi pro gradu virtutis mediocri: non enim introduci eam in virtutem, sed in affectus adhuc indifferentes. Hi ubi in medio consistunt, fit virtus, quæ summa petit. Hinc virtus heroica.

Nam D E I I M nimium colere) DEUM colere, non dicit objectum aliquod materiale indifferens, in quod mediocritas seu temperamentum adhuc introduci debeat; sed ipsam actionem summe bonam

nam

nam. Sicut adulterium contra, & furtum, & cædes, actiones dicunt semper ac summè malas. 2. *Eth.* 6.

§, 49. *Cum discrimine antiquæ & novæ legis*) Summò ubiqve studiò servat suum hoc discrimen Grotius: imò, uti *D. D. Zieglerus p. 27.* loqvitur, qvo minùs in applicatione istius distinctionis sibi valdè placeret, temperare sibi non potuit. Hanc verò dum tollit Theologia Orthodoxa, multas disputationes circa intellectum legis divinæ moralis unò ictu amputat. Atqve hinc in philosophiam hanc morum infinita redundant commoda. Ita enim, quoties de mente ac voluntate DEI legislatoris quaestio oritur, duos habemus maximos Interpretes, eosqve genuinos, infallibiles, ac perpetuò consentientes, Mosen & Christum. Possumus autem in Grotium torquere, qvod ipse ait *prol. §. 13.* *DEUS ipsa illa principia, quæ ut in nobis existerent, voluit, datis legibus magis conspicua fecit.* Ergò universæ Legis divinæ officium in genere morum, & secundum ipsum Grotium, est, reducere nos (citra novitatem

tem

tem ullius augmenti,) ad illud lumen mentis, quod in Adamo luxit, typo humani generis, quodque animæ humanæ à primordio fuit ingenitum, quod DEUS afflatu suo emisit. Vide locum *Tertulliani II, 2, 2, 1. in not.* Atque adeò sicut lex Moſis hætenus verè nova non eſt, ita multò minus lex Chriſti: nec differunt niſi quibusdam accidentibus, & gradu claritatis. *D. D. Oſiand. b. p. 116.*

Dummodò diſtinguamus accuratè Jus DEI) Oppidò hoc eſt neceſſarium, ſed à Grotio ipſo non ubiqve, imò vix aliquoties factum. Optandum ſanè eſſet, inquit Bæclerus in Not. mſc. ad Pol. Lipſ. ſatis accuratus in libros Samuelis, Regum, Joſue & Judicum Commentarius à Theologis conſcriptus extaret; ſed vix ſperandum. Cæterum in illis commentariis, qui hætenus prodire, ſagacitas in caſibus ſpecialibus nulla deprehenditur; generalibus inherere omnes amant. Nondum vidi, qui de facto Davidis in Semei culpâ juratò condonatâ, & ruruſus per filium Solomonem vindicatâ, rectè & accuratè diſquirerent. Hæc & ſimilia facta non poſſunt exponi, niſi ab eo, qui

Jus

Jus DEI accuratè nôrit discernere à jure hominum inter se.

§. 50. *A Jure Naturæ distinxi*) Non debet sanè jus naturæ confundi cum jure divino morali primævo, in literis V. pariter Noviqve Fœderis proposito; Sicut nec unum ab altero planè divelli atqve seduci. Quatenus autem in plurimis (si non omnibus) Juris morales præceptis jus naturæ repetitur & vindicatur, eatenus tenendum est, Jus morale non præcipere majorem sanctimoniam, quàm ipsum per se jus naturale. Nam & hoc, tanquam exemplar atqve expressio justitiæ & sanctitatis divinæ immutabilis, cui nullo tempore aliquid nec addi potest nec detrahi, perfectam mentis puritatem (in genere morum) exigit, I, 2, 6, 4. neq; ad ejus observantiam sufficit qualiscunqve justitia externa, quæ in foro & apud judicem custoditur, sed requiritur etiam interna, quæ à DEO judicatur. Vide locum *Juliani* apud Grot. l. 1. c. 1. §. 10. n. 4. in ann. & Grotium ipsum lib. 2. c. 20. §. 39. n. 3. Et hæc causa est, cur legem charitatis à lege Justitiæ non patiamur divel-

divelli. Confer *Dn. D. Ziegler. ad Grot.*
p. 402.

Neq; tamen omisi notare) Non impro-
 bant nostrates consilia Evangelica sim-
 pliciter: neqve negant, ea differre à præ-
 ceptis. Ut adeò rectè fecerit Grotius,
 quando discrimen hoc non neglexit. Ce-
 terum & in applicando debemus cautio-
 res esse, ne præcepta accipiamus pro
 consiliis, & in æstimando humiliores, ne
 majorem mercedem majusqve meritum
 substituamus majori dono. Sicut enim
 præceptis DEI non ideo paremus, qvia
 ab iisdem declinare nefas est & pœnæ
 obnoxium; ita nec ad summa contendi-
 mus, qvafi id majoris meriti opus sit. *III,*
4, 2, in not. Sed & hanc de Consiliis di-
 vinis doctrinam Grotius attigit magis
 qvàm absolvit. Loca extantiora sunt for-
 tè duo; *I, 2, 9, 4. & I, 3, 3, 8, & 9.*



AD LIB. I. CAP. I.

Q*Vos nulla juris civilis tenet commu-
 nio*) Propositum Grotii est, expli-
 care

care controversias eorum, qui superiorem non habent. Tales sunt, qui aut in Gentem nondum coierunt, aut inter se diversarum sunt Gentium. Illi planè destituuntur jure civili. Hoc enim est, quod utilitatem suæ civitatis respicit. *prol. §. 17.* Hi jure civili quidem non destituuntur, sed ipsos inter se nulla tenet juris civilis communio. Quot sunt civitates, tot sunt summæ potestates civiles. Quot sunt summæ potestates civiles, tot sunt jura civilia. Nam quod quæque civitas sibi jus constituit, id est ejus jus civile, quasi proprium illius civitatis. *l. 9. ff. de J. N. G. & C.* Ergò controversiæ eorum, quos nulla tenet juris civilis communio, definiendæ sunt ex Jure Naturæ & Gentium: Cujus comunione omnes tenentur civitates, gentes, populi. Quibus vocabulis promiscuè utimur cum Grotio. *Inter CIVITATES, inquit, aut omnes aut plerasq; jura quædam nata apparet. Et hoc jus est, quod GENTIUM dicitur, diversum à jure naturali & civili singulorum POPULORUM. proleg. §. 17. Et §. 22. Nulla est tam valida CIVI-*

CIVITAS, quæ non aliquando aliorum extra se ope indigere possit, vel ad commercia, veletiam ad arcendas multarum externarum GENTIUM junctas in se vires. Unde etiam à potentissimis POPULIS & regibus fœdera appeti videmus. Conf. Felden. h. & Huber. Digress. Justin. lib. 1. cap. 12.

Unde non bellum oriri possit) Poterat Grotius præmittere operi monita de studio pacis atque reconciliationis, ante usum armorum adhibendo: Sed quia liber demùm tertius jus armorum principaliter tractat, doctrinam istam rejecit ad lib. 2. c. 23. & 24. item lib. 3. c. ult.

Bellum nos ad pacem) Genuina materia operis Grotiani est Jus Naturæ & Gentium: quæ doctrina quia pars est aut esse debet Philosophiæ Practicæ, non potest ea restringi ad methodum sive analyticam sive syntheticam particularem; etiamsi ipsa philosophia Practica tradenda fortè sit methodo analytica universali. Potuit itaq; Grotius incipere à bello, & in pace desinere; etsi pax habeat se instar finis, cui primus lo-

cus deberi videbatur. Imò priores libri duo tractant ubique ferè controversias Pacis. Vide eorum breviarium in *prol.* §. 33. & 34. idque tantùm fit occasione juris bellici. *Tertius liber primùm*, inquit Grotius §. 35. *subjectam sibi habet materiam id, quod in bello licet.* Sed & hic mox descendit ad pacis genera, & omnes bellicas conventiones.

§. 2. n. 1. *Bellum est status per vim certantium*) Status ratione durationis consideratus, notat hîc illum tractum temporis, quo pax non est. *lib. 2. c. 1. §. 16.* Ergò & induciæ includuntur *lib. 3. c. 21. §. 1.* & omnia consilia bellica, vid. locum Servii in not. *ad h. l.* Vox igitur status pugili non competit. Neque in locum ejus dissidium poni debet. *Job. Frid. Horn. lib. 2. c. 5. §. 4. n. 33.* Id enim animarum potius esse, dixit Just. Sin. Schüz. *Vol. 2. Dissp. 10.* Dissidium autem armatum non dixerunt boni Autores. vid. *Wendel. Phil. Pract. lib. 2. sect. 2. c. 2.* Verum præterea est, insolitas esse illas formulas, *statum geri, aut indici, aut jure status*, id est belli, *occupari aliquid vel acquiri.* Sed

non

non ideò in locum status poni potest
actus successivus. Nam nec hic geritur
aut indicitur, aut jure ejus aliquid acqvi-
ritur, sicut id de bello procedit. Expo-
nendum igitur genus Grotianum est,
quod analogiam quandam habeat cum
spatio, quod rebus moralibus velut sup-
ponitur, ut in eo operationes suas exer-
ceant. *Pufendorf. Elem. J. ll. lib. 1. def. 3. §. 1.*
Doctrinæ tam elegantis hi sunt natales:
Substantiarum creatarum classem ita do-
ctrinæ gratiâ ordinamus, ut instar speciei
primæ, aut ad minimum alicujus suppositi
locò, exhibeamus objectum illud admirati-
one dignum, spatium, tanquam à divinò nu-
mine primo statim die productum, (cum an-
te creationem nec spatium, nec tempus, sed
exceptò DEO, purum nihil, h. e. pura rerum
negatio fuerit:) ceterisq; creaturis pro suf-
ficientissimo receptaculo substratum exce-
ptorium; in quò quælibet suò modò contine-
tur, & actus suos exercet. --- Substantia i-
gitur orta est vel immobilis & suppositiva,
vel mobilis & positiva. Immobilis & sup-
positiva est spatium illud: idque vel Ubica-
tivum, Germanis der Raum | in quo res

C hûe

hūc illuc moveri, aut immotas in eo quiescere videmus. Cujus formæ potius sunt, quàm species, Linea, superficies, corpus. De quibus in Geometria. Vel Quadicativum, Germanis die Weile; in quò res naturales secundum prius & posterius conjunctim porrò semper promoveri, nec unquam immotas quiescere deprehendimus. De quo in Chronologia. Substantia orta mobilis & positiva est, quam in utroque spatio moveri, vel etiam in ubicativi certâ parte quiescere posse, experimur. Hæ sunt vel subtiliores & insensibiles, ut angeli, & animæ rationales, vel crassiores, & sensibiles, ut corpora. --- Capacitas substantiarum moralium ad analogiam spatii mundani sic abstractè concepta, statûs (puta suppositivi) nomine venire solet: in quò personæ mundum illum moralem vitâ civiliter institutâ constituentes, sicut in spatio substantiæ mobiles esse, & locum suum habere dicuntur, tum generalem, ut cum in vita civili tanquam in statu communi locum inter concives quispiam habet: tum specialem, ut cum in collegio vel in facultate, vel in alio cœtu, tanquam in statu particulari, locum peculiariter

rem

rem inter Collegas vel socios quis obtinet.
 Haftenus Autor *Elem. Phil. Mathem. msc.*
lib. 1. c. 1. obs. 6. §. 5. 7. & 11.

Quà tales sunt) Non, quatenus actu
 per vim certant & præliantur. Id enim
 diceret actionem; & relaberetur Autor
 in sententiam *Ciceronis*: sed quatenus in-
 ter eos talis status intercedit. Cum præ-
 cisione scilicet ad ipsas operationes bel-
 licas, ad personas bellum gerentes, ad
 iustitiam belli vel iniustitiam, ad modum
 inquam & formam, denique ad omnes
 species, omniaque genera belli. Sic e-
 nim sequitur: *quæ generalitas omnia illa*
bellorum genera comprehendit, de quibus
agendum deinceps erit. Observat tamen
 doctissimus *Huberus digr. Iust. lib. 2. c. 10.*
n. 1. Ciceronem quoque voce *certationis*
 prælia duntaxat innuere voluisse non de-
 bere credi, sed totum belli ductum. Et
 certum est, multas voces habere signifi-
 catum perpetuationis aut continuatio-
 nis, quæ tamen actionem momentaneam
 notare videntur, v. g. obligatio, trans-
 actio, & similes. Durat obligatio &
 transactio, etiam finito actu obligandi

& transigendi. *Sunt quædam verba, inquit Scaliger de Causs. L.L. lib. 5. c. 113. quæ propter formam carent temporibus, veluti expugnare significat rem absolutam. Non dices igitur, expugno urbem, nisi capias modum ac θικάδεον præcedentem ultimum momentum captivitatis: quod usui magis, quàm rationi concessum est. Idem lib. 5. c. 123. Et Medici, ait, initium quarundam ægritudinum dividunt in initium, & augmentum, & statum. Sic & Cicero bellum pro statu belli usurpat, cum Philipp. 8. nihil esse medium inquit inter bellum & pacem. Nam inter prælium & pacem multa possunt esse media. Cùm igitur intellexerit, in bello statum dici, valdè improbabile est, eum statum definivisse per actionem. Alibi ait: Duo sunt genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per vim. 1. off. 11. Sicut autem hic disceptatio non actum notat, sed universam tractationem causæ coram iudice, usque ad sententiam, aut compositionem: ita & certatio per vim porrigitur ex mente Ciceronis in omne illud momentum, quo pax non est. Utrumque locum Cicero-*

ceronis affert ipse Grotius, primum *lib. 3. c. 21. §. 1. n. 1.* alterum *lib. 1. c. 2. §. 1. n. 7.* *lib. 2. c. 23. §. 7. n. 1.* & *de Mar. lib. c. ult. sub fin.* Ut opinari possis, Grotium non dissensisse à Cicerone: Neque redarguere eum, quod bellum esse dixerit certationem per vim, sed explicare, quem sensum vocabulo certationis usus tribuerit, non actûs scilicet, sed statûs. Quis enim credat, Grotium Ciceroni imputare voluisse, quod non discreverit bellum à pugna vel prælio? cùm ille nusquam dixerit, prælium movere aut gerere, sicut dixit, bellum movere, gerere, componere.

Neq; enim privatam hinc excludo) Bellum hoc privatam non debet confundi cum certamine singulari, de quò *lib. 2. c. 23. §. 10.* & *lib. 3. c. 20. §. 43.* Id enim est actus belli non privati, sed publici, susceptus publico utrimque nomine atque auspicio, belli finiendi causâ, & ut res sine magna clade, sine multo sanguine utriusque partis, decidatur. Unde & plerumque reges ipsos ac principes populorum in conditum tale certamen descen-

scendisse videmus, quod populi ac civitates acceptarunt, ut minus malum. Quæ certamina, bella repræsentativa non malè vocat Becmann. *Diss. Polit.* 23. §. 2.

§. 2. n. 2. *Pacem unitatem dicimus*) Pax à pactione appellatur. *l. 1. §. 1. ff. de pact.* pactio autem ab antiquo pago. Unde in LL. XII. Tabb. *Rem ubi pagunt.* Quod videtur esse à Græcorum ἐπαγον, à πῆγω, conglutino, firmiter conjungo. Vid. Cujac. *ad l. 6. ff. de pact.* Feltman. *de 7. in R. c. 30. n. 4.* Vel ab antiquo paco. Quomodo iterum LL. XII. Tabb. Si membrum rupit, ni cum eo pacit (pro paciscat) talio esto. Et Terentius *Heaut.* post daturum mille nummum pacit. Cujac. *ad l. 4. §. ult. ff. de pact.* Sic apud Grotium jus paciscendi pro jure pacem pangendi aut faciendi. *lib. 3. c. 20. §. 4. n. 1.* Et pax pactio, quæ bellum finit. *d. c. §. 1. §. 2.* Scaliger *de Caus. L. L. lib. 1. c. 25.* Eiusdem originis fuit ἑ πῆγω, quoniam in pacato, non in hostico pascebant; unde etiam Pax.

§. 3. n. 1. *Idque negante magis sensu, quam*

quàm ajente) Justum sensu ajente est, quod convenit cum ipsa natura rationali ac sociali, infertque moralem necessitatem, & consequenter ab autore naturæ DEO necessario præcipitur. *lib. 1. c. 1. §. 10.* Justum sensu negante est, quod naturæ rationali ac sociali non repugnat, nititurque indifferentia morali, & ab Autore naturæ DEO non prohibetur. Injustum verò est, quod repugnat naturæ rationali ac sociali, sive, naturæ societatis ratione utentium, involvitque moralem turpitudinem, ac consequenter ab Autore naturæ DEO necessario vetatur ac prohibetur. Sic bellum in genere non habet necessariam repugnantiam cum natura rationali ac sociali. *lib. 1. c. 2. §. 1. n. 3.* Natura enim eam vim non inhibet, quæ jus nostrum conservat, alienum non tollit. Nullæ sunt igitur hic ineptiæ Scholasticorum. Neque tamen ideò justum distribuit *b. l.* Grotius in debitum & conveniens. Et eleemosynas dare conveniens est quidem, non autem justum, sensu negante. Id enim describit Grotius non ut conveniens, sed ut

non repugnans. Imò eleemosynas dare, inter præcepta est, etsi nemini inde nascatur jus perfectum. Est enim actus justitiæ, quanquam non expleticis, attributricis tamen, secundum Grotium. *proleg. §. 1. & lib. 1. c. 1. §. 8. n. 1.* De bello hoc dici nequit. Non enim licet semper suscipere bellum, etiam ubi jus satis compertum est. Cùm contrà eveniat, ut plerumque magis pium rectumque sit, de suo jure cedere, ut alterius & vitæ & salutis perpetuæ consulamus. *lib. 2. c. 24. §. 1. n. 1. Conf. Bæcler. p. 83.* Qui justum in sensu negante rursus dupliciter sumunt, absolutè & exclusivè, & inter primæ acceptionis exempla ponunt pietatem erga DEUM, honorem erga parentes, stare promisso, reddere mutuum, illorum phraseologia paulò videtur esse durior. Nam si illi actus justisunt sensu ajente, i. e. lege præcepti, non poterunt simul collocari inter actus justos sensu negante, sive sub specie absolutè talium, sive sub exclusivè talibus. *Cont. Velthem. p. 11. & 12.*

§. 3. n. 1. *Sic alteri detrabere sui commodi*

modi causâ) Prorsus congrua sunt duo hæc exempla. Quærenti enim: cur nefas sit, alteri detrahere sui commodi causâ, aut, hominem homini insidiari? rectè respondetur, quia id repugnat naturæ societatis ratione utentium. Verum est, eadem esse contra legem naturalem & divinam; sed quatenus stant sub præceptis primis: neminem lædendum, suum cuique tribuendum. His autem nititur etiam custodia Societatis, ratione utentium. Grotius itaque, cum evolvere vellet homonymiam juris, non poterat confundere justum actionis, cum jure, quatenus legem significat.

§. 3. n. 2. *Sicut autem societas alia est inæqualis*) Non confundit h. l. Grotius jus amicitiae cum jure simplici: sed sicut Aristoteles aliam dixit esse amicitiam inter æquales, aliam inter inæquales. §. Nic. 7. & 8. Sic Grotius aliud dicit esse jus aut justum inter æquales, aliud inter inæquales. Fundamentum dividendi sumfit uterque à diversitate societatum jam existentium. Quot enim sunt species societatum humanarum, tot sunt species Juris. Jus omne est inter unô plures,

focietate aliquâ conjunctos. Patet ergò, nomina juris rectorii & æqvatorii magnum habere usum in explicatione ejus, quod justum est. Et sicut legionis una species est, quâ regitur, altera, quâ militat: ita aliud est justum ex æqvo inter se viventium, aliud ejus, qui regit, & qui regitur, quâ tales sunt. Nam & Civitatis species una est, consociatio juris atque imperii, altera, relatio partium inter se earum, quæ regunt, & quæ reguntur *lib. 2. c. 9. §. 8. n. 2.* Ita in ipsis regum actibus distingvit Grotius, utrum considerandi sint ut regii, an ut privati, & actus partis, facti eò animò, ut communem legum regulam sequantur. Qui à rege fiunt, quâ rege, in iis se habet rex ut caput societatis; qui à rege, ut à quòvis alio, in iis habet se ut membrum societatis. *lib. 2. c. 14. §. 2. n. 2. & §. 5. 6. n. 2.* In illis locum habet jus rectorium, in his æqvatorium.

§. 3. n. 2. *Dominum & servum*) Non observavit Ach. Epsteinius, *Hornium d. Civ. lib. 1. c. 1. §. 4.* ubi præsens locus allegatur, de suo addidisse exemplum mariti

riti & uxoris, quod non est in textu Gro-
tiii. Nam ex ejus hypothefi maritus non
habet aliud jus, nisi in rebus conjugii &
familia. Et si quid ei concessum ultrà
fit, id esse non à naturâ, sed ab instituto.
Hinc uxor ei dicitur esse non sub pote-
state, sed sub oculis & custodia mariti.
Mollius enim non poterat loqui. *lib. 2.*
c. 5. §. 8. n. 2. §. 15. n. 2. c. 7. §. 4. num. 2.
Hornius autem quùm marito non minus
vellet concedere jus vitæ & necis, quàm
domino in servum, sub hypothefi status
extra societatem civilem, licentiam sibi
sumpsit in textum Grotii, & inter exem-
pla juris rectorii retulit, quod Grotius
magno studiò omiserat. Numeravit fa-
nè ille jus maritorum inter imperia su-
periorum, *lib. 1. c. 3. §. 16. n. 1.* sed iterum
sub limitatione, *in his, quæ maritalis sunt*
juris. lib. 2. c. 13. §. 20. n. 1.

§. 3. n. 2. *DEUM & homines*) Societas
inter DEUM & homines omnium maxi-
mè & eminenter est inæqualis, utpote in-
ter Creatorem & Creaturam. Tria au-
tem hæc se consequuntur, communio,
amicitia, & jus. *Εν ἀπείσῃ γὰρ κοινωνοίαν*

C 6

do-

δοκεῖ τι δίκαιον εἶναι, καὶ Φιλία. 8. Nic.
 9. Inter quos igitur omnium maximum
 est διάστημα, inter illos, secundum *Aristotelem*, non est societas, nec amicitia, nec jus. Εμφανέστατον δὲ τῶν Θεῶν, ait idem c. 7. πλείστον γὰρ ἔσται πᾶσι τοῖς ἀγαθοῖς ὑπερέχουσι.
Evidentissimum autem id est in Diis: hi enim omnibus bonis omnium maximè antecellunt. Hic verum est, nullam esse in creaturâ aptitudinem aut dignitatem si-
 ve ad societatem si-ve ad amicitiam, si-ve ad jus cum DEO commune habendum: eò modò, quò hæc inter homines solent intercedere. Laudatur tamen à Melancthone *Cicero*, quòd sapientissimè dixerit, *primam esse homini cum DEO societatem.* *Enarr. lib. 5. Nic.* Deinde negandum non est, jus DEO competere in creaturam, ut Regi ac Judici. Atque hoc sufficit ad terminum Juris rectorii de DEO prædicandum. Porro Philosophia Christiana nos docet, DEUM æquatoriò etiam jure suò modò uti versus hominem; quâ sc. patitur, de seipso judicari secundum illam normam, quam ille non sibi tulit, sed

nobis inscripsit, ut secundum eam ab ipso judicaremur. *lib. 1. c. 1. §. 10. n. 5. & lib. 2. c. 11. §. 4. n. 1.* Quam observationem Grotii non possunt non laudare Theologi. Non intelligit sanè Gentilis Philosophus, quò sensu DEUS dicatur, non modò regere creaturam, sed & contrahere cum creaturâ *lib. 2. c. 14. §. 6. n. 2.* Scriptura autem respondet: per duas res immutabiles id fieri, promissionem nimirum, & juramentum. *Genes. IX, 8-17. Ps. 89, 35. 36. Hebr. 6, 17. & 18. Grot. lib. 2. c. 13. §. 3. n. 3. & 5.* Quid dicemus de negotio justificationis nostræ coram DEO? Sanè expiatio iræ divinæ non est opus nostrum, sed solius Mediatoris. Inter quem & DEUM Patrem hætenus exerceri actum justitiæ commutativæ, non est dubium. Id enim pertinet ad gloriam JESU CHRISTI; quòd DEUS DEO abundantissimè satisfecerit. Respectu hominum autem discerni debet decretum Divinum de justitiâ Christi fidelibus imputandâ, à remissione ipsâ peccatorum, in quam se imputatio ista terminat. Decretum, quod diximus, fecit DEUS

ab æterno, ex gratiâ planè ineffabili. Remissio autem fit secundum eam justitiam, secundum quam Christus satisfecit. Ergò & hîc intercedit jus inter DEUM & homines, imò inter DEUM Patrem & Christum. *c. 3. §. 3. n. 8.* Non cognoscuntur hæc, nisi ex revelatione. Non debet autem in philosophiâ morum Christianâ quicquam poni, quod repugnet verbo revelato. Summa enim maximeq; gratiosa revelatio, in verbò facta, non debet subordinari revelationi in naturâ factæ, sed contrà hæc illi. Itaq; Christianus Philosophus, sicut Christianismus & fidem non debet negare, etiam ubi philosophiam profitetur, ita non debet negare, amicitiam esse inter DEUM & homines; etsi id non agnoverit Aristoteles. Nam ille non potuit agnoscere, quùm fœdera illa, per quæ amicitia ista contracta est, non agnosceret. *Conf. Job. Schilter. Manud. c. 10. §. 3.* Nihil autem tradere, quod repugnet revelationi scripturæ, id demum est, philosophiam verè Christianam tradere. Et harmonia sive non-repugnantia philosophiæ

sophiæ & scripturæ, est character præcipuus philosophiæ non - Gentilis, sive Christianæ.

§. 4. *Jus est qualitas moralis*) Jus non est attributum substantiæ creatæ, in genere substantiarum, sed hominis, quæ socialis est. Ad primum conceptum pertinent attributa physica, ad alterum, moralia. Jus enim est potentia sive potestas non physica, sed moralis. Hoc jus involvit etiam respectum sive relationem tum ad personam, cui competit, tum ad actionem possibilem justam, quæ à personâ exercetur, sed ipsum jus ratio non est. Prælationem moralem possis cum quibusdam dicere, quâ alter venit ante alterum, eiqve præfertur propter singularem connexionem, quam res cum eo habet, & per quam illa ita ipsius est, ut alterius non sit eodem modo. Conf. *Grashof. de Jur. Hom. §. 2. n. 16. seqq.* Sed qualitatis moralis vocabulum etsi non perantiquum sit, hodiè tamen non solemus amplius fastidire. Nam & punctum usurpamus in moralibus, etsi cum latitudine quâdam. *lib. 1. c. 2. §. 8. n. 4. lib. 2. c. 1. §.*

S. Nolo

§. n. 1. Et quod Cicero de qualitate in genere, id nos de qualitate morali in specie dicemus: id verbum non vulgi esse, sed Philosophorum. *lib. 1. qq. Acad.* Antiqui enim quale dicebant, qualitatem non dicebant; sed Cicero eam vocem primus commentus est. *Scalig. de Caus. L. L. lib. 3. c. 70*, quem locum ex *lib. 1. c. 65. citat Jac. Martini Exerc. Metaph. lib. 2. theorem. 1. p. 996.* Opus itaque non est, ut ad tuendam hanc dictionem ad Aristotelem recurratur. Neque eum Grotius hanc in re habuit præeuntem. Vocatur illi sanè qualitas etiam differentia essentialis (*ποιότης τῆς ἰσίας*), sed valdè improprie, & non nisi per similitudinem. *4. Metaph. 14.* qualitas enim prædicatur in quale; differentia autem essentialis in quale quid. Vid. laudatus Martini *d. lib. 2. theorem. 2. p. 1008. seqq.* Ubi & illud excutitur, quò sensu Aristoteles virtutes & vitia ad species *παθημάτων* sive passionum retulerit. Neutrum autem horum commodè applicari potest ad illud jus, quod est qualitas moralis, personæ competens ad aliquid justè habendum vel agendum. *Conf. Velthem. p. 24. & 25.*

§. 4. *Quibus respondent in naturalibus actus & potentia*) Hic verum fit, quod ait Bœclerus *præfat. ad Comm. Grot. p. 22. Ostendat quodammodo philosophiam Scholasticam Grotius, ubi occasio offertur.* Itaque immorandum ornamentis istis haud est, nec inquirendum anxie, utrum actus hic notet potentiam proximam, aptitudo remotam, aut, utrum habeant se ut actus primus & secundus, num verò ut potentia ejus, in quo est actus primus, ad potentiam ejus, in quo non est, aut, ut potentia activa & passiva. Ad intellectum enim textus sufficit qualiscunque comparatio inter actum & facultatem, deinde inter potentiam, & aptitudinem. Facultatem dicimur habere Grotio, ubi aliquid aut in dominio nostro est, aut nobis debetur ex jure stricto, sive ex obligatione perfecta. Aptitudinem autem, ubi ad aliquid habendum (in dominio,) aut agendum (ex jure obligationis) tantum apti sumus. Non enim id alicui suum est, ad quod aptus est. *lib. 2. c. 17. §. 2. n. 2.* Illud actu nostrum est, hoc potentiâ, quatenus nostrum fieri potest. *Conf. Felden.*

p. 13. & 14. Aptitudo tamen similiter est jus, sive qualitas moralis ad aliquid justè habendum vel agendum, differtque à facultate, ut jus perfectum à minus perfecto, jus propriè & strictè dictum à minus tali. Et dicitur quidem aptitudo etiam ἀξία, dignitas, non autem ad aliquid dignè, sed ad justè habendum vel agendum. Debet enim definitio juris esse tam lata, ut utrique speciei conveniat. Conf. *Velthem. p. 38.* Facultas & aptitudo apud Grotium differunt specie, etsi ut species excellentior & inferior. *Schilterus* tamen, *Manud. c. 9. §. 19.* Transfertur, inquit, vox juris per meton. causam, ad effectum, & significat facultatem, potentiam moralem, potestatem, licentiam, libertatem jure & lege concessam. Aptitudinem nominat Grotius *J. B. I. 1. 4.* Huberus autem *digr. Just. lib. 1. c. 7.* Jcti per suum cuiusque intelligunt tam, quod perfectè, quam quod probabiliter ad nos pertinet, & dignitatem inquam & facultatem, ut & Grotius *ibidem.* Antecedit: Cicero justitiam ait esse, quæ cuique jus suum & dignitatem tribuit. *2. de Invent. & 3. ad Herenn. à pr. aperte*

apertè indicans, esse duplex justitiæ obje-
ctum, Jus & dignitatem. Quo duplici re-
spectu Grotius lib. 1. c. 1. duas justitiæ species
formavit, quarum una circa jus, altera cir-
ca dignitatem versatur. - Terminis paulò
diversis utitur, sed res ipsa hinc desumpta
est. Velim hîc monstrari verba Cicero-
nis, ex quibus petierit Grotius divisio-
nem sive justitiæ in expletricem & attri-
butricem, (vide sumarium Huberi p. 729.)
sive juris in facultatem & dignitatem vel
aptitudinem. Nam 3. ad Herenn. c. 16. Ju-
stitia, ait, est æquitas, jus unicuique tribuens
pro dignitate cujusque. Et 2. de Invent. c.
82. iterum: Justitia est habitus animi com-
muni utilitate conservatâ, suam cuique tri-
buens dignitatem. Hîc nemo dixerit, di-
gnitatem Ciceroni idem esse, quod Gro-
tio aptitudo. Sic enim versaretur justi-
tia circa jus imperfectum potius, quàm
circa perfectum, sive suum, quod solum
jus dicitur strictè & propriè tale.

§. 5. *Uti patria, dominica*) Iterum o-
mittitur potestas maritalis; ex ratione,
quam modò diximus.

ut ususfructus, jus pignoris) loquitur
hîc

hîc fortè Grotius paulò minus usitatè. Et non ignorabat ille quidem, usumfructum à proprietate separatum, sive formalem, esse servitutem. Vid. *flor. spars. ad l. 25. de V.S.* Qui & discrimen inter verum & quasi usumfructum annotavit. *lib. 2. c. 12. §. 20. n. 2.* Qui præterea agnovit, usumfructum reverti debere ad dominum proprietatis. *lib. 1. c. 4. §. 10. ex §. ult. 7. de usufr.* Imò qui & possessionem distinxit à dominio, & à possessione reliqua jura in re, quæ possessioni connectuntur, ut jus pignoris, jus retentionis, & servitutis. *lib. 3. c. 6. §. 26. n. 1.* Dominium certè est jus per se unum, ac summum; tale tamen, quod, si integrum sit atque plenum, præter ipsam proprietatem rei, multa alia jura comprehendat. Qvalia sunt, rem habere & tenere ut liceat, item, utifruî eâ ut liceat, exclusô aliô. Ex illis juribus si aliquod transferatur in alium, transit haud dubiè ad eum pars quædam ex jure Dominico, ut loquitur Vinn. *partit. jur. lib. 1. §. 68.* Jus, inquit, in rem propriam habent duo; dominus rei, item is, cui pars aliqua ex jure dominico tribuitur. Do-
mi-

minus ergò nudæ proprietatis non habet dominium integrum, sed minus plenum. §. 1. & ult. f. de usufr. Item dominus directus. 2. Feud 8. & 47. Et vi oppositorum etiam vasallus, cujus dominium vocatur utile. Sicut enim dominum directum consistit in superiori potestate absqve jure utendi; ita dominium utile in potestate inferiore, cum plenissimò jure utendi. Hic certum est, usumfructum feudalem & Germanicum, beneficio temporum, supergressum esse usumfructum Romanum. Jo. Schilt. Exerc. 17. tb. 18. seqq. Grotius tamen, pro libertate styli, nomen speciei excellentioris generi attribuit, & eum, qui usumfructum habet, dixit habere dominium minus pleno. Imò & eum, qui tantum habet jus pignoris. Quod quancquam à dominio longius recedit, dat tamen itidem jus possidendi tenendique, item jus rectè distrahendi atque ipsum dominium transferendi, perinde ac si dominus ipse transtulisset. l. 86. ff. de acqu. rer. dom. Frustrà ergò hic disputatur, an detur dominium juris? Nam & dominium minus pleno, est

est in rem corporalem. Sicut nec illa quæstio est hujus loci: quò sensu usufructus sit pars domini? Loquitur enim Grotius de usufructu à proprietate separato, sive formali. Per separationem autem sicut definit esse domini, ita per eandem etiam definit esse pars domini. Incipit enim esse totum aliquod peculiare, quod respectu ejus, cui acquiritur, usufructus vocatur; respectu domini autem, in cuius rem acquiritur, servitus. Add. laudatus Schilter. d. Ex. th. 1. Cujac. ad l. 4. de usufr. & l. 25. d. V. S.

Et creditum) Creditum non est sub dominio. Sed voluit Grotius hîc designare fontes juris inter privatos, dominium & obligationem; quam creditum non exhaurit quidem, indicat tamen. Jus inquam in re & ad rem. Differunt autem jus ad rem & obligatio terminò existentiae, non modò. Sicut enim credito ex adverso respondet debitum, ita juri ad rem obligatio: neque datur inter hæc duo prius & posterius; sed habent se ut relatam & correlatam. Feltman. de J. in R. c. 26. cum censura Huberi lib. 4. c. 5.

§. 6.

§. 6. *Majus est dominium regis*) Non est obscurum hodiè amplius, quomodo hæc intelligenda sint. Aliud omninò est imperium, aliud dominium. *lib. 2. c. 3. §. 4.* Nihilominus tamen jus illud eminens, quod inest imperio, dominium eminens appellatur. *d. c. 3. §. ult. n. 2.* potestati civili competens, quatenus versatur circa singularia directè publica. *lib. 1. c. 3. §. 6. n. 2.* sicut nec imperium herile confunditur cum civili. Nam dominium, eminens pariter & vulgare, stat sub genere juris propriè dicti, sive facultatis. Hinc dominium vulgare & privatum adhuc manet plenum. *d. §. ult. n. 2.* Imò in regimine dominico non potest discerni dominium eminens à vulgari, quia hoc ab isto absorbetur. Dominium enim, quod sub se non habet aliud verum dominium, non est dominium eminens, sed dominatus despoticus. *lib. 3. c. 19. §. 7.* In regimine autem civili, etiam regio, censentur illi ipsi, qui in civilem coetum coierunt, voluisse, ut civitas, aut qui civitatis vice fungitur, rebus privatorum utatur, easque etiam perdat & alienet, non

non tantum ex summâ necessitate, sed ob publicam utilitatem, cui privatæ meritò cedunt. *lib. 3. c. 20. §. 7. n. 1.* Dominium itaque eminens non dicit dominium absolutum in bona civium, sed illam ordinationem, quâ exercitium domini vulgaris alligatur ad id, quod communiter expedit, sub spe compensationis ex publico, secundum justitiam expletricem. Ut communia sint damna quæ societatis causâ contingunt. *d. §. 7. n. 2. & lib. 1. c. 1. §. 8. n. 3.* Domini eminentis sic expositi principium non est quærendum in Vicariatu DEI. Equidem in omnia illa bona, in quæ jus homini concessit DEUS, jus ipse sibi summum reservavit, Dominus ut Vitæ & necis, ita fortunarum nostrarum atque bonorum omnium supremus & absolutissimus. *lib. 1. c. 1. §. 10. n. 6. & lib. 2. c. 21. §. 14. n. 1.* Sed hîc vicissim sciendum, aliud esse Jus DEI, aliud hominum. Et sicut DEUS dominium in vitam sibi excepit, *lib. 3. c. 11. §. 18.* ita & dominium illud absolutum in res. Unde si quem DEUS occidi præcipit, si res aliqujus auferri, universaliter verum est, id non

non esse homicidium aut furtum; nam hæc vocabula vitium connotant. *d. §. 10. n. 6.* De rectore autem civitatis id non procedit similiter. Ergò vicariatus ille locum hîc habere non videtur.

Reipublicæ quisque magis obligatur quàm creditori) Accipiendum hoc est non de majori validitate aut gradu obligationis, sed de prioritare ordinis. Vinculum juris inter privatum & Rempublicam idem est, quod est inter duos privatos. Potest autem necessitas usus publici efficere, ut suspendatur jus creditoris in gratiam Reipublicæ. Jus habet quivis creditor exigendi id quod sibi debetur, etiam cū excisione fortunarum debitoris, non autem cum excisione Reipublicæ. Conf. *Hennig. p. 67. 68.*

§. 7. *Aptitudinem verò*) Facultatem Jcti nomine sui appellant. §. 5. *Aptitudinem verò ἀξίαν* vocat Aristoteles. §. 7. (Ut ita §. 6. parenthesi velut includatur.) *Αξίαν* communiter *dignitatem* Latini dicunt, sed ambigè. Sumitur enim aliquando per modum abstracti, pro idoneitate ad aliquid capeffendum, v.g. magistr-

D

gistra-

stratum: aliquando per modum concreti, v.g. pro ipso magistratu, quem aliquis adeptus est. Prior significatus apud Aristotelem obtinet. *5. Nic. c. 3.* ubi aliam attendi dicit ἀξίαν in democratia, aliam in oligarchia, aliam in Aristocratia. Ibi libertatem, illic divitias & nobilitatem, hinc virtutem. Hæc omnia non significant ipsum statum aut dignitatem, quam aliquis in civitate jam est sortitus, & quatenus ad eam conservandam varia requiruntur: sed aptitudinem, quam quis habet ad aliquid consequendum ἐκ τοῖς κοινοῖς, v.g. ex officiis, aut pecuniis publicis. Vid. *c. 4. sub init.* Rectissime ergo, & planè ad mentem Aristotelis, ἀξίαν aptitudinem transtulit Grotius. Conf. Schilter. *Manud. c. 8. §. 29. & 36.*

§. 8. n. 1. facultatem respicit justitia expletrix) Vult hinc videri Grotius retinuisse easdem species justitiæ, quas Aristoteles fecerat; sed expositio utrobique valde variat. Secundum Aristotelem justitia assignatrix, quam vulgò distributricem vocant, propriè & per se consistit in tali æqualitate, quæ inter terminos plures

plures duobus instituitur secundum facultatem illam, quam quis habet circa τὰ νοινὰ, atque sic in processu à totò ad partem. Grot. lib. 2. c. 20. §. 2. n. 1. & 2. Secundum hunc autem, in habenda ratione ejus aptitudinis, quæ jus strictè dictum sive facultatem, in se non continet, sed ei tantum occasionem det. Differt itaque justitia expletrix ab attributrice apud Aristotelem usu proportionum, tum inter personam & rem, tum inter rem & rem: apud Grotium autem materiâ, circa quam versatur, i. e. diversitate juris sive qualitatis moralis, secundum quam alicui aliquid debetur. Expletrix respicit facultatem, attributrix aptitudinem. Usus autem proportionum ad neutram harum specierum alligatur, sed est ex eorum genere, quæ sæpè locum habent, non semper. Non tollit ergò Grotius usum proportionum, sed negat differentiam specificam in iis collocandam. Ac verum est, doctrinam de discrimine juris perfecti & imperfecti, facultatis & aptitudinis, majorem utilitatem habere in opere hoc Grotiano, quam doctrinam

proportionum. Nulla est enim de jure controversia, in quâ non primò omnium inspiciatur, utrum aliquid petatur ac debeat ex jure strictè dicto, sive expletorio, an verò ex jure laxo, sive ex regulis aliarum virtutum. *lib. 2. c. 7. §. 4. n. 1 & passim.* Istò cognitò, proportio aliquando arithmetica magis attenditur, aliquando geometrica, secundum naturam rei & qualitatem circumstantiarum aut prout actus cujusque & judicium rectè conformatum id exigit. Sic prudens dispensatio in elargiendis, quæ cuique homini aut cœtui propria sunt, servat sanè proportionem geometricam, quando sapientiosem minus sapienti, propinquum extraneo, pauperem diviti præponit, *proleg. §. 10.* Quò pertinet etiam ordo beneficiorum, de quo *lib. 2. c. 7. §. 9. & 10.* Sed vicissim eandem proportionem, saltem secundum aliquos, deprehendas in contractu societatis. Quem non video ego, quomodo possimus excludere ex numero illorum contractuum, in quibus justitia commutativa exercetur. Pertinet enim haud dubiè inter συναλλάγματα

τὰ ἐκείσια, in eoqve perinde est δόσις ἢ
 λήψις, uti in contractibus reliquis. Vi-
 de locum *Mich. Ephesij* apud *Grot. lib. 2. c.*
20. §. 2. n. 4. Add. *Schilt. d. c. 8. §. 28. §. 31.*

§. 8. n. 1. συναλλακτικὴ Ἀριστοτελι)
 Negant id diligentiores Interpretes. Ita
 verò incipit *§. Nic. 4.* Τὸ δὲ λοιπὸν ἐν τῷ
 διορθωτικῷ, ὃ γίνεται ἐν τοῖς συναλλάγ-
 μασι, ἢ τοῖς ἐκδοσίσις ἢ τοῖς ἀκδοσίσις. Hic
 apparet, interpretes vocem δικαίᾳ συ-
 ναλλακτικῆς citra injuriam in Aristotelem
 usurpare potuisse, postquam vox συναλ-
 λάγματ^{ος} ab ipso Aristotele extensa
 fuit etiam ad contractus invitos. Neqve
 aliud vult *Mich. Ephesius* locò jam cita-
 τῷ; Συνάλλαγμα οἱ παλαιοὶ ἐκάλεον ἔ-
 μόνον, ἀ ἐκόντες συνετίθεντο, πρὸς ἀλλή-
 λους ποιεῖν, ἀλλὰ ἢ τὰ ὑπὸ τῶν νόμων δι-
 ηγορευμένα. Contractus à Veteribus ap-
 pellantur non tantùm, quæ mutuis conventi-
 onibus constant, sed ἔ quæ legibus sunt ve-
 tita.

§. 8. n. 2. Si unus tantùm) Hæc in-
 stantia non videtur ferire Aristotelem.
 Nam ut hoc inveniatur, utrum unus
 tantùm aptus sit ad munus publicum,

proportio comparata instituenda est inter ἀξίαν unius illius, qui dignus reperitur, & reliquorum omnium, qui munus istud ambiunt.

§. 8. n. 3. *Si quis de re suâ legare velit*) Est sanè capacitas legati jus quoddam: sicut & injuria est, libertatem testatoris in eò impedire. *lib. 2. c. 17. §. 3.* Et quamquam liberalitatis genus sit, proximos feminis sui non despiciere, uti *Ambrosius* ait *1. off. 30.* maximè tamen debentur illis præsidia vitæ necessaria: non quidem ex jure expletorio, sed κατ' ἀξίαν. *lib. 2. c. 7. §. 10. n. 1.* Quâ in re prælationem habent proximi feminis, præ aliis egentibus, versus quos nuda liberalitas exercetur. Hic enim ex duobus pauperibus propinquus præfertur extraneo, secundum ordinem illum, quem in beneficiis etiam natura vult observari. *d. c. 7. §. 9. n. 2.*

§. 8. n. 3. *Et civitas, quæ de communi reddit*) Quod hîc redditur à civitate, debetur iis, qui in casu necessitatis in publicum aliquid impenderunt. Non habent ergò ἀξίαν tantum, ad aliquid accipiendum; sed facultatem ad recuperandum, quod

quod impenderunt. Cui consequens est, quod ipsis redditur, non reddi tanquam commune, sed tanquam suum, etsi de communi, sive ex fisco. *lib. 2. c. 14. §. 7.*

§. 9. n. 1. *Lex est regula*) Tuetur hoc genus contra Feldenum, suppresso nomine, D. D. *Osiander p. 157. Add. Ejusd. Typ. J. N. §. 35.*

non actio est legis) quæ Juris permissivi sunt, justa sunt, negante magis sensu, quam agente: ut permissum dicatur, quod prohibitum non est, uti supra §. 3. n. 1. Sermo tamen hinc est tantum de permissione facti, aut de permissione juris minus plenâ, quæ impedimenti remotionem significat. *per §. 17. n. 2.*

§. 9. n. 2. *Quæ apud Aristotelem extat*) Non convenire per omnia partitionem Grotii cum Aristotelicâ, notavimus *ad prol. §. 17.*

§. 10. n. 1. *Jus N. est dictatum recte rationis*) Definitur hinc J. N. quatenus lucet in intellectu humano practico. Quoties enim ad hunc defertur actus aliquis moralis, inquirat ratio, utrum is necessariò conveniat cum ipsa natura rationali, an

disconveniat. Deinde indicat, actui illi inesse aut necessitatem moralem, aut turpitudinem moralem. Ex eo autem judicat, & concludit, actum illum à Deo necessario aut præceptum esse aut vetitum. Hæc omnia simul sumpta vocamus dictamen rectæ rationis super actu aliquo morali.

§. 10. n. 2. *Debiti sunt aut illiciti per se*) Non absolute, sed comparate: quatenus sc. non pendent hi actus à voluntate Legislatoris, sicut illi, qui jure positivo debiti sunt aut illiciti. Tota ergo perfectas hæc (sit venia verbo) inventa est in notam qualemcumque, quâ jus naturale distare dicatur à voluntario. Qui ipsas naturas actionum moralium hinc urgent perpetuo, rem intricant magis, quam explicant. Debet autem jus naturæ, sicut omnis alia philosophia, ad Deum nos deducere, tanquam ad archetypum. Uti enim lex divina voluntaria, est expressio voluntatis divinæ ad nos, quâ Deus revelavit, quid velit: ita lex naturalis est expressio bonitatis, sanctitatis & justitiæ divinæ in nobis, quâ Deus revelavit, & quid velit, & qualis sit. Actus er-

gò

gò moralis est turpis vel necessarius, non
tàm propter ipsas naturas talium actuum
aut propter signum perfectitatis, quàm
quia aut convenit aut disconvenit ne-
cessariò cum expressione illa bonitatis,
sanctitatis, & justitiæ divinæ. Unde, qui
negat necessitatem actuum moraliter
bonorum, ille non modò vim infert sibi
ipsi, atque intellectui humano practico,
sed & in Deum summè est injurius. Ne-
gat enim, expressionem illam, quæ in no-
bis splendet, genuinam esse, & substituit,
quantum in se, in locum imaginis Dei ef-
figiem diaboli.

§ 10. n. 3. *Quæ Ratio honesta*) i. e. quæ
non in jure stricto, sed in aliarum virtu-
tum præcepto posita sunt.

aut oppositis meliora) i. e. quæ rectius
fiunt, quàm non fiunt. lib. 3. c. 20. §. 47.
n. 2. item, quæ sanctius omittuntur, &
cum majori apud bonos laude, quàm
committuntur. lib. 3. c. 10. §. 1. n. 1.

n. 4. *Dominium, quæ nunc in usu est*)
i. e. dominium distinctum, sive proprie-
tas. Grotius enim proprietatem habet
pro specie domini. Vid. c. 5. de M. L. con-

tra stylum Jctorum. *lib 2. c. 2. §. 1.* Sensus autem est, distinctionem dominii communis, quod toti humano generi à DEO sub initium rerum datum erat, in multa dominia singularia sive proprietates, involvere factum humanum, sive actum voluntatis humanæ. Neque enim potuisse Naturam, sibi relictam, dominos individualiter distingvere. Abstinentiam autem alieni nihilominus semper stetit inter prima ac summa capita juris naturæ. *proleg. §. 8. & 10.* Imò naturam ipsam monstrasse initium istius distributionis fratribus etiam primævis. *d. c. 5. de M. L. & d. c. 2. §. 2. n. 2.* Melanchthon: *cum vera & recta ratio ac demonstratio doceat nunc distingvenda esse dominia, dicemus, distinctionem dominiorum esse juris naturæ, i. e. tradi à ratione naturali.* *Epit. phil. mor. lib. 2. p. 84.*

n. 5. *Aristoteles, cum dicit) locus est lib. 2. Nic. c. 6.*

Nam ut esse rerum) Videtur & hîc respici ad locum Aristotelis & è èµ. 9. 12. Ascendendum autem est altius, principiumq; immutabilitatis ex origine ipsi-

us

us juris repetendum. Si enim expressio illa, quæ per inscriptionem juris naturæ in nobis facta est, genuina est, evidentissimum fit, jus naturale esse immutabile; quia archetypus illius est immutabilis. *DEUS ipse, qui nullâ constituta lege obstringi potest, contra naturam suam facturus esset, nisi promissa præstaret. Unde sequitur, ut promissa præstentur, venire ex natura immutabilis justitiæ, quæ DEO & omnibus his, qui ratione utuntur, suo modo communis est. lib. 2. c. 11. §. 4. n. 1.*

Itaque & DEUS ipse) Optimè hoc intelligitur ex eâdem origine juris naturalis, de quâ diximus. Nam si bonitas, sanctitas, & justitia DEI per expressionem quandam, sive repercussionem moralem in nobis radiat, necesse est, præcepta juris naturæ prorsus conformia esse iisdem attributis divinis. DEUS autem sicut cognoscitur ex attributis suis, ita & secundum ea de se judicari, non potest non pati. Sicque nostrò concipiendi modò ipse sibi est & norma & normatum.

§. 10. n. 6. fit tamen interdum) Fieri

D 6

hoc

hoc inde existimamus, quia intellectus humanus practicus unô eodemq; conceptu vix potest exhaurire omnes illas propositiones, quæ ex jure naturæ formandæ sunt circa negotium aliquod morale. *Habet enim jus N. ait Huberus digr. Just. lib. 1. c. 6. n. 3. infinita, ut sic loquar, præcepta, ob infinitam varietatem circumstantiarum & objectorum.* Possunt itaque variare propositiones juris naturalis particulares, in applicando, non ipsum jus naturæ, in definiendo & præcipiendo. Melanchthon: *Cum quæritur, an jus naturæ sit immutabile, rectè respondetur, immutabilem esse totum concentum notitiarum naturalium: Sicut lumen in oculis sanis idem est. --- Hæc explicatio arguta est, dicere, totum ordinem legum inspicendum esse, & suo quamq; loco perpetuam esse. d. 1.*

Non quia jus naturæ desierit præcipere)
 Fieri potest, ut jus quidem fuerit, sed sublatum sit, aut tollatur ex alio jure superveniente, sicut debitum acceptilatione aut conditionis cessatione. *lib. 3. c. 1. §. 11. n. 2.* Nam eodem puncto, quo jubebat

bat jus N. debitum solvendum, eodem jubebat etiam, non solvendum, si conditio cessaret.

§. 11. n. 2. *An verò actus ipse*) Nullum est in homine factum laudabile, cujus non vestigium in alio aliquo animalium genere DEUS posuerit. *lib. 2. c. 19. §. 2. n. 2. in annot.* Atque hoc argumentò sæpè utitur Spiritus S. *Es. 1, 3. Jer. 8, 7. Rom. 1, 26. Jud. v. 10.* uti observat *Velthem. p. 127.* Dicemus ergò, in brutis deprehendi expressionem quandam naturæ humanæ, sicut in homine est expressio mentis divinæ. Quam rerum subordinationem & *Plato* vidit, cum docuit: *Naturam rem unamquamque perfectissimam facere voluisse; ac proinde in plantis sensus, in brutis rationis, in hominibus divinæ mentis vestigia expressisse.* apud *Vinn. Comm. ad pr. J. de J. N. G. & C.*

§. 12. n. 1. *Apriori*) Convenientia & disconvenientia necessaria cum naturâ rationali & (in specie) sociali, potest valere in characterem præceptorum naturalium, si finis societatis humanæ proprius & præcipuus ponatur cum *Melanchthone,*

D Z

ut

ut Deus innotescat. *Epit. ph. mor. l. 2. p. 112.*
 Nam & lex naturæ impressa est, homini, ut
 Deus innotescat. Cui consequens est, in
 demonstrandis præceptis naturalibus ne-
 gligi non debere parallelismum Scripturæ.
 Nam ibi certis DEI testimoniis ostendi-
 tur, nos non merâ ratio cinatione niti, sed
 iudicium naturæ nostræ impressum, verè
 esse iudicium DEI. *Idem ad lib. 5. Eth.*
Ar. p. m. 416. Jamblichus: *Ridiculè homi-*
mines faciunt, qui aliunde, quod honestū est,
quodq; rectè sit, quærun, quàm ab ipso DEO.
Apud Habn. ad Wes. fol. m. 44. Postquam
 enim post lapsum caligo humanæ natu-
 ræ tanta est, ut non modò in mysteriis
 DEI cœcutiamus, sed etiam ipsa lex
 naturæ minus conspiciatur, sanè in
 doctrina ejus abstrahere à Scriptura,
 est, oculos ad lumen superveniens velle
 præcludere. Quod nec Gentiles Phi-
 losophi fecerunt: quando, quicquid ex
 Theologia morali, moribusque Ebræo-
 rum ad ipsos pervenit, id summo stu-
 dio in philosophiam suam intulerunt,
 atq; à Gente ad Gentem transmiserunt.
 De Grotii instituto hic dicendum est ali-
 quid. Certum est, eum non voluisse
 com-

commentari de Jure N & G. secundum
disciplinam Christianorum, sicut Selde-
nus de eodem secundum disciplinam
Ebræorum. Sed ipsi tamen desperan-
dum videtur fuisse de successu operis, si
à subsidiis Scripturæ animum profus
abduci oportuisset. Quantum verò di-
gnitatis atque perfectionis accessurum
libris his fuisse arbitrabimur, si Christum
pro Interprete non Mosis tantum, sed Pa-
tris sui Grotius agnovisset? Nunc ille
maximam partem recti naturalis ex ab-
dito philosophiæ Gentilis cum ambitio-
ne quadam conquirere atque conduce-
re veluti, deinde verò supra explicatio-
nes & purgationes Legis Veteris, no-
vas Christi leges fingere eruditius ju-
dicavit: quum sapientia Gentilium
in doctrinâ morum, quâ parte maximè
effloruit, eâ populo DEI & majoribus
nostris potissimum debeatur. Quod
argumentum post alios copiosè tractat
diligentissimus *Pfanner. System. Theol.*
Gent. c. 1. §. 5. & 6. Excogitatio autem
novarum Legum Christi facit nos perpe-
tuò dubitare de genuino intellectu legis
moralis Mosaicæ, & divellit expressio-
nem

nem illam divinam in primordio rerum in nobis factam, à sanctitate & justitia Christi; quâ tamen Patri suo nunquam difformis est, aut eò perfectior.

§. 14. n. 1. *Vel civile, vel latius patens, vel arctius.*) Sicut jus primæ acceptionis §. 3. dividitur à Grotio pro diversitate societatis in id, quod intercedit inter patrem & liberos, dominum & servum, regem & subditos, DEUM & homines; sicut porro jus secundæ acceptionis §. 5. & 6. in jus seu potestatem patriam, dominicam & regiam: Ita & jus tertiæ acceptionis, & in specie jus voluntarium, (naturale enim est commune,) dividitur pro diversitate societatum in Voluntarium divinum, quod intercedit inter DEUM & homines, humanum civile, quod intercedit inter Regem & subditos, Civile latius patens, quod inter Gentes & Gentes, & Civili arctius, quod inter patrem & liberos, dominum & servum, & si qua sunt imperia similia. Harmoniâ inter societates, & acceptiones juris, ubique eleganti. Ergò in hâc distributione nihil est, quod carpi debeat.

Latius autem patens est Jus Gentium)

Adeo-

Adeoqve & species Juris voluntariii erit hoc Jus Gentium. Aliud autē est Jus Gentium, in quo Jus naturæ includitur. *l. 2. c. 18. §. 4. n. 1.* Sicut & h. l. mox dicitur, etiam jus naturale solere Jus Gentium dici. *add. l. 1. c. 2. §. 4. n. 1.* Et jus naturale à posteriori probatur ex eo, si quid apud omnes Gentes, aut moratiores omnes tale esse creditur. *§. 12. n. 1.* Adde prolixam disertationem Grotii de justitia naturali inter Gentes. *proleg. §. 18. 21-27.* Ergò ex sententiâ Grotii non omne Jus Gentium est species Juris voluntariii. Illius autem, quod hîc definitur, explicatio propria ferè est libri tertii. Quò pertinent duo illa capita, quorum hîc fit mentio, Jus captivitatis, & postliminii.

Quod Gentium omnium aut multarum) Non dicit: *Gentium omnium, aut moratiorum omnium*: Sicut paulò antè de Jure Naturæ. *§. 12. n. 1.* Nam Jus N. ita commune est omnibus Gentibus moratioribus, ut ea Gens pro moratâ haberi neqveat, quæ principiis naturalibus reluctatur. Jus autem Gentium voluntarium potest esse inter Gentes omnes
aut

aut saltem multas, absque formidine ejus oppositi. Propter hoc, quia est jus voluntarium, & ex voluntate obligat, à quâ Gentes non dicuntur moratæ aut immoratæ.

Vim obligandi accepit) Diximus enim, jus Gentium dici, & quod singulis Gentibus placuit sine mutuâ obligatione, (quod est Jus Gentium improprie tale, aut potius! jus civile plurium Gentium) & id, quod mutuam obligationem in se continet. lib. 3. c. 1. §. 8. n. 2. Et ita h. l.

§. 14. n. 2. *Pari modo, quò jus non scriptum civile*) Non debent itaque fragmenta tabularum postulari à Grotio, quibus Gentes placita Juris voluntarii inscripserint. Sicut enim non omne jus voluntarium civile est scriptum, ita nec omne jus voluntarium Gentium. Et sicut jus civile non-scriptum probatur usu continuo, & testimonio peritorum; ita & Jus Gentium voluntarium.

§. 15. n. 2. *Humano generi ter jus datum*) Ex his legibus opinor sunt illæ, quas Grotius recenset lib. 2. c. 5. §. 13. n. 5. At illas nemo dixerit æqualiter esse voluntarias

rias. Sicut nec omnis lex voluntaria toti humano generi data est. Ac præterea sola repetitio, (si vel maximè in facto supponatur) non facit jus voluntarium.

In sublimiori reparatione per Christum)

Reparatio generis humani per Christum facta sublimior sanè est reparatione post diluvium. Quomodo verò pars salutaris istius reparationis possit consistere in Novæ Legis impositione? Aut quomodo ad Gratiam DEI humano generi conciliandam conferre quicquam poterit exactio majoris obedientiæ & sanctitatis, quàm à patribus vel requisita, vel præstita fuerat? Nam & illi sub jugo legis Hebraicæ fatiscebant. §. 16. n. 2. Et Christus quidem legi multò exactius perfectiusque satisfecit, quàm à nobis cogitari potest: imò potuit etiam satisfacere legi adhuc perfectiori. Sed sicut DEUS Pater non imposuit ei novam legem, sed subjecit eum legi jam latæ & violatæ; ita satisfactio eidem Legi Veteri præstita, citra augmentum, eminenter nobis est salutifera.

Ad eorum notitiam pervenerunt) Si in facto

facto verum est, quod ait h. l. Grotius, dubitare non licet, jus illud ad notitiam omnium hominum pervenisse. Si enim ponas non pervenisse, injustitia quædam in legislatorem redundabit, non satis manifestantem jus voluntarium, cui tamen pareri ab universo humano genere voluerit.

§. 16. n. 1. *Cui peculiariter DEUS jura dare.) Rectè, peculiariter, i. e. peculiari ministerio, ac modo promulgandi. Non enim omnia Jura Hebræorum fuere peculiararia. Quâ parte Moses universum jus naturale repetiit, exposuit, inculcavit & vindicavit, eâ parte Hæbræorum jus non fuit peculiare, sed peculiariter custoditum. Vide duo exempla lib. 1. c. 2. §. 5. n. 2. Mendosè autem habetur universa lex antiqua pro ipso jure naturæ; multa enim ejus veniunt ex DEI voluntate libera. proleg. §. 48. Non omnia ejus capita sunt naturalia. Quæ verò talia sunt, pertinent ad universum genus humanum. Omnibus enim innotescere debuit, qualis sit DEUS.*

§. 16. n. 7. *Quæ Lex est propriè) i. e. qua*

quæ est voluntaria. Propriè enim lex dicitur, quæ voluntaria est. Quemadmodum Aristoteles τὸ νομικὸν opponit τῷ Φυσικῷ, juri naturali jus legitimum. Et Grotius §. 9. n. 1. *Jus aliquando idem valet quod lex, quoties vox legis largissimè sumitur, ut comprehendat etiam jus naturale.* Hinc in enumeratione partium legis Hebraicæ h. l. nominantur *ritualia*, i. e. leges ceremoniales, quæ tales, quæ desierunt sub adventum Christi: deinde leges judiciales & forenses, quæ tales; in verbis: *quoad cetera verò, postquam populus ille per excidium urbis populus esse desiit, ablata ab eodem est obligatio.* Quid dicemus igitur de legibus moralibus, sive quæ ad virtutes morum pertinent? Certè quæ parte jus naturæ in iis repetitum fuit, eâ non sunt voluntariæ, sed obligatio earum venit ex ipso jure naturæ. Itaque obligatio earundem hodieq; durat. *Quæ ad virtutes morum pertinentia præcipiuntur in veteri fœdere, eadem & fœdus Novum, aut majora præcipit.* proleg. §. 48. Hic etsi illud falsum sit, fœdus novum majora præcipere;

re; simul tamen fatetur Grotius, leges illas, quæ ad virtutes morum pertinent, non defuisse. Sic §. 17. h. c. n. 4. *Quæ virtutes à Christianis exiguntur, ut humilitas, patientia, dilectio, exiguntur in majore gradu, quàm statu Legis Hebraicæ exigebantur.* Hic iterum negamus hypothesin de majori gradu obligationis, stante tamen thesi, de duratione illarum legum Mosaicarum, quæ non sunt voluntariæ. Add. c. 2. §. 6. n. 5. §. 7. n. 15.

§. 17. n. 4. *Quia etiam promissiones cælestes*) A clarioribus promissionibus gratiæ rectè quidem concluditur ad evidentiorè obligationem nostram ad omne obsequium, omnemque cultum divinum: non autem ad exactiorè obedientiam in puncto justificationis nostræ. Quo magis nobis revelatur gratia DEI, eò evidentius intelligimus bonitatem DEI, & qui in tanta luce peccant, illi gravius & peccant & puniuntur, quàm quibus gratia DEI in eodem gradu fortè non apparuit. Exactio autem majoris obedientiæ supponit, obedientiæ nostræ rationem haberi etiam in
ne-

negotio justificationis nostræ coram DEO. Conf. *lib. 2. c. 20. §. 10. n. 1.* Imò involvit imperfectionem & injustitiam quandam in DEO ipsò, qui, quùm decrevisset humano generi inscribere jus naturæ, ex quo homo cognosceret & qualis sit DEUS, & quid velit DEUS in genere morum, non inscripserit nisi jus valdè imperfectum, & fortè tale, quod tantùm rectitudinem operum externorum requirat, absque puritate animi. Quod si admittitur, quidvis potius in humanâ mente expressit DEUS, quàm sui imaginem. Adde tamen *c. 2. §. 6. n. 4. §. 7. n. 8.*



AD LIB. I. CAP. II.

§. I.

AD primam ac generalissimam veniamus quæstionem) Sed in cujus tamen evolutione Grotius ante omnia & potissimum respexerit ad bellum privatum. Quod ipse innuit *lib. 2. c. 1. §. 3. Si corpus impetatur cum periculo vite, tunc bellum*

lum esse licitum, ante diximus, cum ex hac specie, ut maximè probatâ, ostendimus, bellum aliquod privatum justum esse posse. Antè, i. e. h. l.

§. 1. n. 1. *Prima naturæ*) Simplicissimè dicemus: inter officia naturæ primum esse, conservationem sui non negligere, utpote quæ immediatè fluit ex amore sui, sive philatiâ rectâ. Ex conservatione autem fluit defensio. *Jus hoc defensionis per se ac primariò nascitur ex eo, quod natura quemq; sibi commendat. lib. 2. c. 1. §. 3.* Ergò qui agnoscit, defensionem esse juris naturalis, ille etiam agnoscit bellum aliquod, saltem defensivum, licitè geri, secundum idem jus naturæ. *lib. 1. c. 3. §. 1. n. 2.* Atque hæc sufficere poterant Grotio ad probationem quæstionis generalissimæ, aliquod bellum justum esse. Sed ille uti alibi passim, ita h. l. philosophiam suam sub tegumento antiquitatis ostentat. Itaque ab ipsa Stoicorum partitione orditur, & cum cura explicat, quæ prima naturæ vocaverint Veteres, quæ consequentia. Ubi tamen cavendum est, ne reliquiis istis aliter utamur, quàm Grotius

tius

tius usus est. Ille autem examen juris naturæ quæsiuissè in primis naturæ non debet existimari. Nam defensio quidem, (de quâ h.l.) perinde nobis communis est cum brutis, sicut proles educatio, multiqve actus alii; Sed ad juris ipsius naturam atqve communionem id nihil referre, docetur *lib. 1. c. 1. §. 11. n. 2.* Et *lib. 2. c. 20. §. 5. n. 1.* *Appetitus in se spectatus,* (in quem prima naturæ propriè cadunt,) *non convenit juri naturæ: quia non convenit parti rationali. Jus enim naturæ est dictatum naturæ rationalis & socialis, quâ talis est.* Admirari interim decet sapientiam Creatoris, qui ætati infirmæ & ad excolendum animum adhuc inhabili, corporis tantisper tuendi amorem in sevit, dum hęc ad maturitatem perductõ, vis illa mentis expergiscatur: Ex observatione *Dn. Jac. Thomæs. de Philaut. c. 3. §. 20.*

§. 1. n. 5. *Ad pacem bellumqve naturum*) Non indifferenter ad utrumqve, ceu in philosophia Grotii est notorium. *Cassiodorus* in annot. *robustus homini thorax, brachiaqve concessa sunt, ut il-*

E latans

latam injuriam manu defenderet, & ob-
jectu corporis, quasi quodam clypeo vin-
dicaret. Confer egregium locum La-
stantii lib. 1. c. 5. §. 2. n. 2.

§. 2. n. 1. *Historia septem populo-
rum*) Possumus tamen ex illis quoque
bellis, quæ speciali Dei mandato gesta
sunt, in genere inferre, non omne bel-
lum jure divino injustum esse. Non
enim susceptio belli ibi fuit aliquid spe-
ciale, sed susceptio belli ex hac causâ,
contra hos septem tantum populos, hoc
& non aliò modò gerendi. Huc perti-
net, quod Grotius in prol. §. 48. dixit:
*Quatenus voluntas Dei libera cum
verò jure naturæ nunquam pugnat, ea-
tenus argumentum inde rectè ducitur.*

§. 3. n. 2. *Inter vim, quæ injuriam
infert*) Vocabulum injuriæ improprie us-
urpari, sequentia ostendunt: Nam
cum dixisset Ulpianus, animal, quòd sen-
su caret, non posse injuriam fecisse. l. 1. §.
3. si quadr. paup. f. d. Rectè autem reti-
nuit etiam quoad cætera Grotius verba
§. 11. d. l. 1. quanquam enim verum sit,
arietem provocatum concitatum fuisse
à pro-

à provocante, notandum tamen est, alium poni ab Ulpiano casum in §. 8. alium in §. 11. d. l. Quod ex comparatione §§. reliquorum intelligitur. Sed Grotius quidem hinc non tam ad certamen arietum, ejusque modum respicit, quam ad judicium *Q. Mutii* de eodem. Ille autem in bestiis etiam, in quas tamen jus & injuria non cadit, inspici voluit, utra alteram aggressa fuerit & provocaverit: comparatione aliquâ factâ ad certamen inter homines solitum. Ex hoc judicio *Mutii* collegit Grotius: si id discrimen observandum sit in brutis, multò magis id fieri debere in certamine hominum, inter quos veræ injuriæ locus est. Hoc positò, simul probatur, bellum aliquod, v. g. quò vim illatam propulsamus, justum esse; quod erat demonstrandum. *Struvius* autem discretè agnoscit defensionem aliquam in ariete provocato. *Exerc. 14. th. 13. & de Vind. privat. cap. 1. aph. 1. §. 2.*

§. 4. n. 2. *Jure Gentium introducta esse bella*) *Ex l. 5. ff. de J. & J. Ubi Pertius quum vidisset, sævam rem esse bellum,*

& ad hominum perniciem natum, e-
 molliendæ phrasi addidit: *Non dispositivè bella esse ex Jure Gentium, sive autoritativè, sed occasionaliter, distinctis Dominis.* Vinn. ad §. 2. J. de J. N. G. & C. n. 3. Sed hæc ad libidinem & prurimum bellandi pertinent, adeoque ad vitium, non ad ipsum jus belli. Hic autem quaeritur: an omne bellum repugnet juri Gentium voluntario? Respondet Grotius, id ei non modò non repugnare, sed eodem potius introductum esse, i. e. certam formam, certosque effectus ab eo accepisse. Nam eam vim, quâ vim injustam pro pulsamus, atque sic originem belli saltem alicujus in genere, ex ipso jure naturæ & ratione naturali esse, non potuit ignorare Jctus. Et iste significatus proprius est l. 3. ff. d. Just. & Jur. Add. Grot. lib. 1. c. 2. §. 3. n. 1. Introductio ergò belli, quâ est ex Jure Gentium voluntario, notat illam superadditionem, Juri Naturæ factam, quam diximus. Manifestum hoc est ex comparatione reliquorum capitum, quæ in textu Hermogeniani sequuntur. Conf.

Ger.

*Gerhard. Feltmann. ad l. 4. n. 1. l. 5. n. 1.
& 2. eod.*

*Ib. Jus Gentium non assistit quidem)
Jus Gentium scilicet voluntarium; qua-
tenus id bellis non-solemnibus non lar-
gitur effectus illos peculiare, qui bel-
lorum solemnium proprii sunt. vid. lib.
1. c. 3. §. 4. n. 1.*

*Ib. Jure Gentium, inquit Livius) non
voluntario, sed illô quod & jus natura-
le aut Jus Gentium primævum dici
potest. Sicut enim Livius ait: jure Gen-
tium ita comparatum esse, ut arma ar-
mis propulsentur; Ita Florentinus ait l.
3. de Just. & Jur. Jus Gentium esse, ut
vim atque injuriam propulsemus, ob tute-
lam corporis nostri. Add. Feltman. ib.
n. 3. 4. & 13. & Grotium b. §. 3. n. 1. ubi
idem textus Florentini ad probandum
jus naturæ adducitur. Itaque iisdem
penè lineis mentio fit diversi Juris Gen-
tium.*

*§. 5. n. 2. Comminationem esse vo-
lunt, non approbationem) At nec nuda
approbatio judiciorum capitalium ibi
continetur. Cujus rei testimonium lu-*

culentum nobis ipse præbet Grotius in verbis mox sequentibus. *Lex ergò hæc (tàm Noachica, quàm Mosaica) jus naturæ pravâ consuetudine oblitteratum declarat atque repetit.* Duo autem sunt in ista lege, prohibitio homicidii, & præceptio (non nuda approbatio) supplicii capitalis in homicidam. Ex quo ulterius collige, non potuisse non Caino supplicium capitale dictare conscientiam. *Intelligebat, ait Hieronymus apud Osiandr. p. 350. se eum esse, qui mereatur interfici.* Quòd verò supplicium metuebat ab eo omni, qui ipsum invenisset, id trahendum est ad factum, non jus. Unde & Deus signum ei impresit, ne illum occideret, qui invenisset: quod aliàs vel ex Zelo vel libidine vindictæ facile poterat accidere. Ipsum jus sumendi supplicii post Deum, soli Adamo debebatur, capiti familiæ, & regi gentis. Imò necessitas officii ex lumine naturæ ad illud sumendum, eum adstringebat, nisi Deus homicidam ex iudicio inferiori ad suum tribunal evocasset. Cujus consilii rationes necesse haud est

est inquirere Sic Regū etiam delicta Deus punit. Et Christy præterea homicidiū Caini Judæis sui temporis objicit, tanquam quod memoriā divinā nondum excidisset. *Math. 23. 35.* Verba Grotii de Caino velut sua adducit Wissenbach. *Disp. 35. tb. 11.*

§. 5. n. 3. *Quomodo & Plato in legibus constituit*) Judicium Dei de Caino neque à Platone, neque à Græcis, neque à quacunque alia Gente sumi in exemplum potuit. Aliud enim est jus Dei, aliud jus hominum inter se. De facto Lamechi non liquet. Locus *Euripidis* ad vindictam privatam pertinet. Quod apparet tum ex paraphrasi Scholiastæ Græci, apud *Böcler. p. 181.* tum ex pleniori oratione *Tyndari* apud Grotium *lib. 2. c. 20. §. 8. n. 4. in not.* Ubi & locus *Maximi Tyrii*, sed cum translatione multò elegantiori, quàm *Henniges* attulit. *p. 139.*

§. 5. n. 5. *Deus permisit, ut insons esset, qui homicidam occidisset*) Si lex Noachica pariter atque Mosaica de homicidio, non tam novi aliquid continet,

E 4

quàm

quàm legem naturalem declarat ac repetit, uti fassus est Grotius n. 2. nullo tempore potuit à Deo permitti vel promiscua aliqua licentia cædium, n. 4. vel licentia cædes promiscuè vindicandi. Porrò si in jure ejus, qui occisum sanguine proximè attingeret, mansit vestigium moris pristini, concludendum est, homicidium primis etiam temporibus regulariter nemini fuisse impune, sed potius jus puniendi pertinuisse ad principem ejus familiæ, quæ occisum sanguine proximè attingeret. Hic mos non potuit Deo displicere, utpote legibus theocraticis valdè conveniens. Infrâ §. 7. n. 6. profitetur Grotius, talem rerum statum, ubi nullum fuerit jus capitalium suppliciorum & cives armis tuendi, nunquam auditum, neque Christi mentem fuisse, ut eum induceret.

§. 6. n. 5. *Verba Christi non continere nudam interpretationem*) Interpretationem tamen. Fatetur ergò Grotius, Christum fuisse meliorem Interpretem Legis Mosaicæ, quàm Legis periti erant & Pharisei. Et hoc fortè sanum adhuc est

est in hoc §. Diximus supra *ad cap. 1. §. 12. n. 1.* Grotium agnovisse Christum pro interprete Mosis quidem, non autem Patris sui. Pro Interprete Mosis agnoscit, dum fatetur, Legis peritos & Phariseos insuper habuisse & non inculcasse populo eam partem legis, quæ prior est, quæque præter disciplinam externam, mentis etiam puritatem requirit. Quod verò sequitur, Christum intendisse etiam legem, quoad gradum obligationis, & extendisse, quoad latitudinem præcepti, in eo plus tribuitur Christo, quàm ipse sibi sumsit, atque ad officium Boni Interpretis requiritur. Nobis igitur sustinendum est, Christum etiam Patris sui interpretem fuisse. Quòd nulla potuerit à Christo tradi perfectio legis moralis, quæ non præextiterit vel in tabulis, Mosis exhibitis, vel in ipsis cordibus hominum. A neutrâ harum scripturarum possumus excludere Deum Patrem. Ille autem quum ita scriberet, in mente extra dubium habuit, exemplar perfectum sanctitatis suæ, justitiæque condere. Ergò, aut

lex vetus non est expressio bonitatis & sanctitatis divinæ, aut ei nihil potuit, superaddi. Nam primi homines etiam ante lapsum ignorarunt legem Novam Christi, & creati tamen erant ut specula, in quibus resplenderet Deus. Itaque verba Christi continent nudam interpretationem legis & naturalis & moralis. Utriusque, inquam, ut verbò occurratur instantiis de concubinato, polygamia, divortio, dilectione proximi, aliisque.

§. 7. n. 3. *Voluntate Dei approbante*) scilicet, quasi ab ipso Deo esset constituta potestas civilis. Sic enim approbatio illa exponitur c. 4. §. 4. n. 1. Sed nihil impedit, quo minus gloriam constitutionis etiam Deo tribuamus. Qui enim naturam hominis creavit rationalem, is eam creavit etiam socialem. Societatis autem ad humani intellectus modum ordinatæ prima productio, summaque perfectio est potestas civilis, sive gladii & armorum. Inspice locum nobilem *Dionis Cassii. c. 4. §. 4. n. 5.* Ulterius, Rex est minister Dei; imò à Deo.
b. l.


b. l. Ergò constituitur, non probatur tantum. Nam &, qui ordinatur, constituitur, non approbatur tantum. Sequitur mox *n. 4.* Qværi: an functio in personis impiis impia fuerit? Et respondetur: Apostolum id negare, quando illam functionem à Deo *institutam* dicat, etiam pro illò tempore. Et §. 8. *n. 13.* potestates publicas à Deo *constitutas*, ut pœnas Dei vice exigent. *Dannhae-
rus* conjunctim *Hodos. p. m. 138.* *Potestas ordinata, Dei instituto approbatorio, cum legitimè administratur: iudicio, cum violenter.*

§. 7. *n. 4.* *Non de personis qværitur*) sed de potestate, sive magistratu in genere, citra discrimen, i. e. cum abstractione, fidelitatis & infidelitatis. Persona sancta est propter characterem potestatis regiae, non fidelitatis. Itaque qui veneratur potestatem regiam in abstractione, non potest recalcitrare subjecto ejus infideli. Qui veneratur potestatem regiam in singulari, veneratur etiam potestates supereminentes in plurali.

rali. Numero enim nulla hîc inest efficiencia juris.

§. 7. n. 13. *Bellum aliquod licitè geri*) Etsi non omne. Ita autem concepta erat quæstio capiti præscripta: an bellare unquam justum sit. A simili verò justitiâ causæ ad simile jus factorum facilis est descensio.

§. 8. n. 9. *Ita enim vocem proximi ibi sumi*) Atqui aliam mensuram caritatis agnoverunt etiam Ethnici, ex communione sc. naturæ humanæ. Vide *lib. 1. c. 5. §. 2.*



AD LIB. I. CAP. III.

§. 1. n. 1.

Allatore eo, qui jurisdictionem habet) Id est eò, qui non est privatus. Nam bellum privatum gerunt privati in privatos, ut viator in latronem. *c. 4. §. 1. n. 1.* Publicum ergò erit, quod geritur inter personas publicas. Sive potestas earum sit minor, sive summa, & civilis.

Nam

Nam potestatem civilem magistratibus inferioribus tribui à Grotio, non reperimus. Benè autem potestatem publicam minorem. Jurisdictio itaqve comprehendit & Majestatem, & Magistratus inferiores. Non est is stylus Jcto- rum : ut ex LL. Romanis, totqve scriptoribus de Jurisdictione abundè constat. Sed hîc de mente Autoris quæritur, quem sibi plus ceteris indulgisse, non est dubium. Eum tamen strictiorem significatum, quò jurisdictio imperio opponitur, non ignorasse, patet ex *lib. 2. c. 8. §. 10. n. 2.* Ab hâc expositione vidimus non discessisse Velthem. *b. p. 373.*

§. 1. n. 2. Judicia publica non à naturâ, sed factò sunt humano) Judicia publica apud Grotium non restringi ad exercitium jurisdictionis voluntariæ & contentiosæ, sed signare omnem ordinem civilem, diximus *ad proleg. §. 19.* Ad existentiam autem societatis civilis concurrere facta humana, nemo est, qui neget. Sicut enim corpora naturalia à natura producuntur; ita, com-
para-

paratâ dictione , moralia à factis hominum. Tunc autem factum humanum non opponitur voluntati divinæ , sed subordinatur rationi naturali, cui Deus voluntatem suam manifestavit. Ipsa dictavit æquitas & ratio naturalis , judicia instituenda, & tam laudabili instituto ubiqve obsequendum esse. Per hoc dictamen Deus loquitur ; Sed ei tamen citra factum humanum obtemperari non potest. Sola enim fortè judicia populi Ebræi fuere instituta ante factum humanum. Deinde alio sensu factum humanum opponitur naturæ , aliò juri naturæ. Judicia publica non sunt facti humani , etiamsi non sint à natura. Illa enim prioris generis , sunt arbitrii humani, non ab ipsa æquitate & ratione naturali præcepta , ut judicia. Sstrictior acceptio judiciorum publicorum occurrit §. 6. n. 1. h. cap.

§. 4. n. 2. *Et sanè, si citra leges civiles res spectetur*) Non oritur Jus belli ex legibus vel civilibus , vel ex jure Gentium. Ac neutrum horum voluit Grotius. Qui docet, Jus belli contineri sub
sum-

summâ potestate civili, ut partem potestativâ sub toto. Vide partitionem jurium majestaticorum. §. 6. Deinde si omnis facultas gubernandi civitatem, quæ est in magistratibus inferioribus, summæ potestati subjicitur cum clausulâ irritationis & cassationis: c. 4. §. 6. n. 1. & 3. Si ὑπαλληλισμός ille etiam sensu communi cognoscitur. n. 2. quæ potuit in mentem venire Grotio, jus belli majestaticum magistratui inferiori debere acceptum ferri? Facit huc integrum cap. 22. lib. 3. de fide minorum potestatum in bello. Sensus igitur loci præsentis est: in officio magistratuum inferiorum videri probabiliter, & si citra leges eis à potestate civili præscriptas, res spectetur, contineri non quidem jus belli universum, sed contra subditos refractarios, & inparentes, siquæ vis ab illis occurrat. Grotius autem mox subdit, cur ratio illa probabilis cessare debeat: nimirum, quia per usum armorum tota quandoque civitas in periculum venit. Magistratus autem inferior, quæ est minister voluntatis pu-

publicæ, § 2. & 3. d. c. 22. non debet jurisdictionem sibi creditam exercere cum periculo totius civitatis. Hanc rationem, in ordine naturali fundatam, omnes populi moratiores agnoverunt, ideoque sub institutione magistratuum inferiorum, jus armorum servatum est potestatibus supremis. Imò non magistratus modò inferiores, sed & ii solent à juris bellici societate arceri, qui quoad cetera veniunt in societatem tum provinciarum, tum jurium aliorum Majestaticorum. Fittamen, ut magistratus inferior instruat arma, sed ex lege, & cum caractere potestatis summæ, cui inferiores semper subjiciuntur.

§. 5. n. 3. *Si ea de re lex ferenda sit*) Hic locus expositionem postulat. Sensus est: Si super causa armorum non constet magistratui inferiori de voluntate Principis, conjicere is debet, quæ futura sit voluntas Principis, si de eâ consuleretur. In hâc autem conjecturâ debet se gerere, ac si res decidenda esset ex verbis legis. In applicatione autem legis ad aliquod factum particulari

re

re, inspici debet ratio legis tum particularis, tum universalis. Potest enim cessare particularis, ut tamen non cesset universalis. *c. 4. §. 4. n. 3, & lib. 2. c. 20. §. 26. & 35.* Sic in exemplis à Grotio *n. 4.* allatis, Cn. Manlio, quum Gallo-Græcis privato consilio bellum inferret non deerat ratio facti particularis. Fuerant enim socii hostium Romanorum. Socii autem habentur pro hostibus non minus, quam ipsi quorum sunt socii. Cessabat autem ratio, sumpta universaliter, quæ periculis occurri volebat. Etiam si igitur Gallo-Græcis non inferretur injuria; inferebatur tamen Reipublicæ Romanæ, in quam periculum istius belli redundabat. Debebat igitur videre non modò, quid placere posset populo Romano, si consuleretur, sed & potissimum, quid faciendum sit è Republica, antequam populus Romanus consuleretur. In casu ergò ubi res moram fert, debet ante omnia consuli, qui summam potestatem habet. Ubi moram non fert, & dubia tamen est deliberatio, videndum est, quid ille cupiat

piat se inconsultò fieri. Vult autem
semper, nihil suscipi, per quod Res pu-
blica possit in periculum adduci. Idem
dicendum est de facto C. Cæsaris, n. 4.
& Octavii, & Decimi Bruti, n. 5.

§. 6. n. 2. *Partim per alios regit*) Ma-
gistratum ergò, ait Feldenus p. 41. vide-
tur definire, per quem summa potestas re-
git civitatem, facitque adeò eundem in-
strumentum summæ potestatis. - Nisi er-
gò & Reges velis dicere summæ potestatis
instrumenta, de omnibus magistratibus
dicere non licebit, quod Autor iisdem
attribuit. Nemo non videt, Feldenum
voce magistratus etiam supremum in-
cludere. Grotius autem istum disertè
subordinat ei, qui civitatem regit, i. e.
magistratui supremo. Sic §. 5. n. 1. ap-
pellantur cum addito, magistratus mi-
nores, & n. 2. potestates inferiores.
Boeclerus, quùm sine dubio ad hanc
censuram respiceret p. 219. *Magistratus*
vocabulo, inquit, nunquam aliter utun-
tur veteres, quàm de instrumento summæ
potestatis. Quod ergò Feldenus ait,
magistratum non rectè (negativam enim
omis-

omissam non annotavit *D. Simon b. l.*)
 dici esse quiddam, per quod summa pote-
 stas regat, quia fortasse illo magistratu
 nihil superius sit: & postea: nec tamen
 reges (hîc extat eadem negativa) rectè
 dici posse quippiam, per quod summa
 potestas imperat; eam enim penes ipsos
 esse; intelligendum est, de magistratu
 superiore, non inferiore, & ministrò.
lib. 3. c. 22. §. 2. C. 3.

§. 7. n. 1. *Cujus actus alterius juri non
 subsunt*) Non morabimur instantiam
 de eremitâ, ad quam respondit Boecle-
 rus, & ex eo *Simon b. l.* Negabimus po-
 tius, potestatem civilem hîc definiri.
 Definitur enim ea §. 6. n. 1. quòd sit fa-
 cultas moralis civitatem gubernandi.
 Hîc verò explicatur tantum aliquod at-
 tributum ejus, quâ summa est. Cujus
 expositione peculiariter, & cum lucu-
 lentâ expressione, quid in hâc descri-
 ptione sit positivi, gavisus est *Boeclerus*
p. 202.

§. 7. n. 1. *Ita summae potestatis sub-
 jectum commune est civitas*) quatenus
 hæc est cœtus perfectus. Sicut enim cor-
 pus

pus animatum, aut animal (nam id hâc perinde est) videre dicitur, quùm oculus videat ; ita civitati integræ tribuuntur, quæ in parte ejus nobiliore splendent. Haftenus ergò comparatio ista de visu non malè procedit. Grotius autem distinctione subjecti duplicis usus deprehenditur etiam in controversiis gravioribus. Puta, ubi quæritur, utrum adhuc idem sit populus, qui fuit olim ? *Imperium, inquit, quod in rege est, ut in capite, (ut in subjecto proprio) in populo manet, ut in toto, (in subjecto communi) cujus pars est caput. lib. 2. c. 9. §. 8. n. 1.* Deinde: An populus debeat pecuniam, rege sibi impositò, quam liber debebat ? Imperium in se retinet, quanquam jam non exercendum à corpore, sed à Capite. *ibid. n. 3.* Similiter cùm quæritur: an promissum, populo libero factum, teneat, statu civitatis in regnum mutato ? *Manet, inquit, idem corpus, etsi mutato capite ; & imperium, quod per regem exercetur, non desinit imperium esse populi. lib. 2. c. 16 §. 16. n. 1.* Porro acquisitio imperii, quæ

quæ bello fit, alia est, prout imperium
 est in rege, alia, prout etiam est in po-
 pulo. Ibi succeditur tantum in jus re-
 gis, hîc absolutè in univèrsum jus po-
 puli, etiam in jus alienandi. *lib. 3. c. 8.*
§. 1. n. 3. & c. 15. n. 1. Sic in negotio fa-
 ciendæ pacis videndum est, utrum jus
 totum imperii, an verò exercitium tan-
 tum, & quasi tutela sit penes populum,
 aut eum, cui id populus commiserit.
lib. 3. c. 20. §. 3. n. 1 Adde gravissimam
 litem de obligatione successorum re-
 gni. *lib. 2. c. 14. §. 10. 11. seqq.* Peribunt
 nobis singulæ hæ inspectiones, (quas
 tamen cognosci desiderat usus omnium
 temporum) si tollatur subjectum maje-
 statis commune. Hornius autem, cum
 doctrinam maximorum Theologorum
 ultra ipsorum sententiam extendisset,
 scripsit: *Si Princeps vivus successorem
 constituat, ipsam majestatem ad primum
 autorem, Deum, redire: reducendam
 iterum, & communicandam designato
 heredi. de civit. l. 2. c. 1. §. 21. n. 15. 17.* Et:
*quamprimum Rex decesserit, majestatem
 ad Deum redire l. 2. c. 9. §. 13. n. 19.* Ubi Ep-
 steinius: *quis dixit Autori, Majesta-*
 tem

tem mortuo rege, quasi cum animâ principis evolare in cœlum? -- Eidem origini debentur, quæ sequuntur, d. §. 13. n. 26. Successorem principem, heredem regni, solii, sceptri, vocare haud verebimur, quia ejusmodi voce qualem qualem successionem in locum alterius intelligimus, non imperium, ab homine moriente in superstitem translatum. Ergò in regno hereditariò erit successio qualisqualis, in locum defuncti, non in jus imperii. Et quomodo expediemus negotium alienationis regni, aut partium regni? Omnia certe, quæ ibi dici possunt, ac solent, erunt intelligenda de alienatione non verâ, sed quali quali. Quò nihil est minus conveniens sapientiæ civili.

§. 7. n. 2. Imperium ad quemque populum seorsim revertitur) Sic lib. 2. c. 7. §. 15. finitâ familiâ regiâ, regnum redit ad populum. Quâ durante nullas hic ejus habet reliquias. d. c. 7. §. 27. n. 2. Ordinariè scilicet. Regnat autem populus, quum fit sui juris, qui antea erat sub ditione. Sic mortuò dominò servi fiunt liberi, nisi lex humana impediât. lib. 2. c. 9. §. 1. Hæc si quis negare contendat,

eum

eum simul negare oportet, licere sicut homini cuique se in privatam servitutum alteri addicere, ita populo sui juris, libertatem suam in unum aut plures transcribere. *b. c. 3. §. 8. n. 1. & lib. 2. c. 5. §. 31.* Libertas autem sicut est potestas in se. *lib. 1. c. 1. §. 5.* ita, si ultrò abdicetur, gignit jus sui regendi. *b. c. §. 12. n. 1.* non aliunde pendens. *§. 8. n. 6.* Idem dicendum de abdicatione libertatis invitâ. *lib. 3. c. 8. §. 1. n. 1.* Quot ergò sunt modi subjectionis sive voluntariæ sive invitæ, tot etiã sunt modi constituendi imperii. Quã in re tantã Deus hominib9 libertatem indulfit, ut populus, regem sibi ex arbitrio constituens, possit cum eo partiri imperium, ejusque potestati certos fines assignare. *b. c. §. 9. n. 1.* Fieri potest, ut populus, regem eligens, quosdam actus sibi servet, alios autem regi deferat plenò jure. *§. 17. n. 1.* Quod ubi contingit, tunc partem summi imperii habet Rex, partem populus aut senatus. *c. 4. §. 13.* Rectissimè tamen agnovit Grotius, non obtingere cuiquam imperium, sine Dei cura speciali, nec sine

divi-

divinâ quâdam providentiâ; imò Dei
jussu Reges constitui, à Deo eligi, à
Deo dari Majestatem. §. 8. n. 15. *cum an-
not.* In quâ philosophiâ meritò acqvie-
scimus.

§. 8. n. 1. *Ut ex lege Hebraea & Ro-
manâ apparet*) De Hebræa non est du-
bium. Ex Jure Romano adducitur in
margine §. 4. *J. de jur. pers.* descriptus
ex l. 5. §. 1. *ff. de stat. hom.* Hanc l. non
Feldenus modò, sed & alii Juris inter-
pretes dixerunt de pœnâ loqui. Ut sen-
sus sit: homini libero, majori XX. annis,
qui se ad pretium participandum veni-
re passus sit, libertatem in pœnam adi-
mi. Verùm quomodo pœnæ, propriè
sic dictæ, respectus esse possit, ubi ratum
habetur, quod actum est, nullo tamen
negotio poterat irritari? Rata autem
habetur illa venditio, quia per eam ho-
mo liber in dominium nostrum redigi-
tur. *d. l. 5. §. 1.* Et postea manumissus non
revertitur ad suum statum, *quò se abdi-
cavit*, sed efficitur libertinæ conditio-
nis. *l. 21. eod.* Libertini autem fiunt,
qui ex justâ servitute manumissi sunt.

l. 6. eod. Valida ergò fuit abdicatio libertatis, utpote in *justam*, i. e. veram & juri consentaneam, servitutem mutata. *Complures alii sunt loci*, ait Cujacius *ad l. 6. §. 5. ff. de inj. rupt. irr. f. t.* quibus ostenditur, jure Civili servum fieri eum, qui se ad pretium participandum venire patitur. Imò & donari, & in dotem & pignori se dari, pati poterat homo liber. *l. 23. ff. de lib. caus.* Emi is quidem à sciente non debebat, sed vendi tamen à sciente sciens poterat. *l. 70. ff. de contrab. empt.* Et hoc intererat, quòd quibusdam casibus ad libertatem iterum liceret provocare, si vellet, quibusdam non liceret. *l. 4. quib. ad lib. prov.* Sicut & in aliis contractibus non semper liberum est pœnitere, sed citra pœnam. Ad *l. 37. ff. d. lib. caus.* rectè dicemus, eam loqui de conventionem privatâ directâ, quâ Jure Romano nemo semet scienti vendere poterat. *l. 33. eod.* Atque id admittit etiam Grotius *Florum spars. p. 22.* Sic ad *l. 39. C. eod.* (quam opponit Feltmann. *ad l. 5. §. 1. ff. de stat. hom.*) respondebimus, eam loqui de falsâ simulatione

F

tione

tione servitutis, quæ utiqve non poterat impedire, quominus homo liber, si vellet, ad libertatem posset provocare. Sicut ex *l. 6. l. 14. l. 22. eod.* statim id intelligitur. Quid dicent autem, qui contrarium asserunt, ad constitutionem *Leonis 59*? Sanè hæc legem Romanam haud obscure redarguit, quòd hominem liberum, servitatem suam mercantem, non castiget, neque scelus illud corrigat, sed dementiam illius firmam esse permittat. Jubet autem simul, contractus ejusmodi non debere validos esse, sed everti, & ementem pariter, vendentemque verberibus castigari, ac nihilominus libertatem hominis in pristino statu conservari. Per legem autem illam Romanam Veterem, *SC. Claudianum* intelligi, non male conjicit *Cujas. Paratit. Cod. de lib. caus.*

S. S. n. 10. Sic postquam Romani Principes) Principes; sed qui palàm & sine ulla dissimulatione regnum liberrimum tenerent. *h. c. S. 10. v. 3.* Non restringit *h. l. Grotius initium αὐταρχίας Roma-*

manæ ad certam vel personam vel periodum. Ut appareat, eum hîc non fuisse sollicitum, utrum ex Romanis Principibus Justinianus fuerit primus *αὐτοκράτωρ*. Quod qui eum collegisse opinantur ex loco *Agathie*, cujus mentio fit *princ. flor. spars.* illi non animadvertunt, *Agathiam* ipsum loqui de iis Imperatoribus tantum, qui Byzantii regnarunt. Imò & de his non absque notâ figuræ alicujus: *καὶ πρῶτος, αἰτ, ὡς εἰπεῖν ἐν τοῖς κατὰ τὸ Βυζάντιον βεβασιλευκόσι.* Et Grotius præterea illud *ἀποδέδεικτο αὐτοκράτωρ* cum cura transtulit, eum summò liberrimòq; usum imperio, sive, ut h. l. ait, *imperium verè regium palam usurpasse.* Reliquos ergo habuisse quidem, sed eo modò non usurpasse. Add. *Huber. Digress. lib. 1. c. 23. n. ult.*

§. 8. n. II. *Talia regna negat Aristoteles*) Locum alterum Aristotelis, quem *Feldenus* h. l. opponit, adducit ipse Grotius §. 20. n. 1.

§. 9. n. I. *Sed id nullam includit coacti-*

onem, aut jus aiiqvod imperii) i.e. nec paritatem, nec superioritatem. Nam ex coactione paritas seqvitur, ex jure imperii superioritas. Utraqve autem cum inferioris naturâ repugnat. *b. c. §. 17. num. 1.*

§. II. n. 1. *Ita summum imperium Dictator Romanus*) Sæpè distingvit Grotius summitatem imperii ab habendi plenitudine. vid. §. 14. & 17. Ad summitatem ei sufficit, actus alicujus alieno arbitrio non posse irritos reddi. §. 3. n. 1. & §. 11. n. 2. Sic, si dictum sit, ut regno cadat, si rex fidem fallat, non desinet summum esse imperium, sed erit habendi modus diminutus, per conditionem; & imperium temporario non absimile. §. 16. n. 4. Ergò exempla magistratuum, à quorum cognitione non licet provocare, non debent confundi cum exemplis regum temporariorum. Utrum Dictator Romanus pro tali magistratu populi habendus sit, an verò pro rectore civitatis temporario, quæstio est historica, & ad jus ipsum non pertinet. Nisi quod &
hîc

hîc discrimen temporum agnoscat Grotius §. 8. n. 11.

Reges deniq; , tam qvi primi eliguntur)
 Electio ipsa non semper est character imperii usufructuarii, §. 10. n. 5. Hoc loco autem accipitur pro characterè imperii, populi voluntate delati. §. 13. n. 1. ita & electivum. c. 4. §. 10. Sicut præterea in regno patrimoniali hoc est præcipuum, quòd cum jure alienandi conjunctum sit, unde & potissimùm proprietarium appellatur, tanquam quod in dominio regis sit. §. 12. n. 3. & lib. 2. c. 6. §. 3. Ita rex, jure isto alienandi destitutus, similis esse dicitur usufructuario, qvi extraneo jus suum cedere frustra intendat. d. §. 10. Certum est autem, ita deferri posse imperium, ut ex voluntate populi tum jus alienandi, tum alia excipiantur. Quemadmodum contra ita fieri potest deditio, ut nihil excipiatur. Extra hos terminos non apparet, Grotium voluisse extendi vocabula Juris Romani, non sine novitate quadam à se adhibita. Nisi quòd apud JCtos ipsos similes sententias ex-

F 3

tare,

tare, discamus ex D.D. Zieglero p. 139.
 Neque est, ut fiduciarium aut fideicom-
 missarium ponamus pro usufructuario.
 Ex mente enim Grotii regna illa tempo-
 rariis sunt similia, quæ faciunt peculia-
 rem conspiciem. §. 16. n. 4. & 5,

n. 2. *Curatores regni*) Hic si Grotius
 intelligat illos Curatores, quorum men-
 tio fit supra §. 6. n. 2. & §. ult. h. c. di-
 cendum est, per eos, uti per magistratus
 alios, regi quidem civitatem, & populo
 illos non subesse, sed civitati tamen ideò
 eosdem non præesse. Id enim de solâ po-
 testate civili verum est. c. 1. §. 14. n. 1. non
 de ministris ejus.

§. 12. n. 1. *Ita & alia est libertas perso-
 nalis, alia civilis*) Sic & servitus alia est
 personalis, lib. 2. c. 9. §. 6. & c. 13. §. 4. n. 3.
 alia civilis c. 21. §. 7. n. 2. add. lib. 2. c. 22.
 §. 11. & lib. 3. c. 8. §. 1. n. 1. & §. 3. Liber-
 tas personalis opponitur servituti perso-
 nali, libertas civilis servituti civili. Li-
 bertas civilis dicit *αὐτονομία*, & in re-
 ge aut populo libero jus summi imperii.

§. 21.

§. 21. n. 3. §. 23. n. 2. b. c. item jus regen-
dæ per se reipublicæ. lib. 2. c. 24. §. 6. n. 1.
Libertas civilis ponit simul libertatem
personalem, & excludit omnem ditio-
nem alienam. Libertas personalis a-
mittitur subjectione privatâ, civilis pu-
blicâ. Libertas ergò sive personalis si-
ve civilis non notat h. l. vel licentiam ef-
frenè, vel legibus conformem, sed diver-
sam illam relationem, quæ est inter pa-
rentes & imparentes in societate ci-
vili.

§. 12. n. 2. *Cùm populus alienatur, non
ipsi homines alienantur*) Pertinet ad digni-
tatem gentium moratorum, homines li-
beros, quæ tales, non esse in commercio,
sed tantùm jus eos regendi. Unde con-
temptim loqvuntur, qui inter liberos &
servos, resque alias discrimen hic non
agnoscunt. Est fanè libertas hominis
abdicabilis. Nemo enim prohibetur
à natura, ne unquam serviât. Sed ideò
libertas non est in censu earum rerum,
quæ sunt in commercio. Deinde rectè
dicitur, dominium esse jus in re, & affe-

tionem rei; imperium autem rem ipsam
incorporalem. Vid. *Ziegl. p. 137.* contra
stricturam *Felden. p. m. 61.* Non, quòd
non & jus in re sit res incorporalis; Sed
quòd non ipsum solum sit in commer-
cio, quòdque dominium aliaque jura in
re possint transire vel cum ipsâ re, quam
afficiunt, vel sine eâ, imperium autem
non accipiatur pro adjuncto rei, sed pro
re ipsa. Res quævis alia corporalis, quan-
ta quanta est, non modo quoad adjun-
cta, sed & quoad substantiam est in com-
mercio. Homo autem liber ex dignitate
naturæ rationalis, collocatus est super
omnes res corporales, ut aut iis domine-
tur ipse, aut tamen ex voluntate ejus, in
quem jus sui regendi transcripserit, aut
transcribi passus sit. Manifestum fit,
quòd dicimus, exemplò Grotii, de li-
berto uni ex liberis assignato. In hunc
enim transcribi dicitur jus, quòd antea
patrono in eum competebat. *l. 10. pr. de
assign. lib.* ita, ut libertus eodem modò
sit illius, cui assignatus est ex liberis, quò
fuit patroni assignantis, exclusis fratri-
bus,

bus. per text. generalem *in l. 107. d. V. S.*
Conf. *Cujac. ad l. 11. de assign. lib. (in Pa-*
pin. p. m. 560. seq.)

§. 12. n. 3. *Quia non hereditati acce-*
pti feruntur, sed rei) Hæc ratio non Gro-
tiii est, sed totidem verbis ipsius Ulpiani
in alleg. *l. 18. §. 2. ff. ad SC. Trebell.* Quam
ita exponit *Cujacius ad l. 58. §. 2. eod. (in*
Papin. p. m. 404.) Illi fructus restituen-
di sunt heredi fideicommissario, qui par-
tem hereditatis faciunt. Tales sunt, qui
vel inveniuntur in hereditate, tempore
mortis, vel qui maturi tamen erant &
mox demetendi. Qui verò percipiun-
tur post mortem defuncti, & ante diem
fideicommissi cedentem, illi non sunt
pars hereditatis, nec adeò ei accepto fe-
runtur, sed ipsis corporibus hereditariis.
Tertii generis sunt, qui percipiuntur
post moram heredis non restituentis,
quùm restituere debuisset. Et hi pos-
sunt quidem pro fructibus rei haberi, sed
rei jam alienæ. Itaque rectius dicetur,
eos partes hereditatis esse, & consequen-
ter restitui debere illi, cui ipsa debetur

hereditas. Eandem rationem agnoscit Marcellus *in l. 44. §. fin. eod.* Ubi hoc velle videtur: Si mora non intercessit, fructus fideicommissarium non sequitur, sed cedit pro fructu rei, quæ hereditate continentur. Non enim debet heres fideicommissum supplere; quod faceret, si fructus, etiam ante moram ex re perceptos restitueret: sed debet restituere hereditatem, qualis nunc est, eò scilicet tempore, quò fideicommissario restituenda est. Prorsus hæc congruunt cum sententiâ Ulpiani. Sub finem textûs alias adhuc rationes superaddit Marcellus, sed quæ cum antecedentibus omnino non pugnant. Quòd scilicet suò peculiò fœneraverit heres, suâ operâ fundum coluerit, fructus coëgerit, nec æquum sit, heredem procuratorem fideicommissarii constitui. Id enim defunctum voluisse, in dubio non præsumi *d. l. 18. pr.* Sed potius testantis iudicio perceptos videri, qui medio tempore percepti sunt. *l. 22. §. 2. eod.*

*Sic Rex Solomo Regi Phœnicum Hiromo
dedit*

dedit urbes XX.) Utrum istæ civitates Hi-
romo in proprietatem datæ fuerint, an
verò permutatio interceslerit, non defi-
nit hoc loco Grotius. Itaque litem istam
nostram non faciemus. Quandoquidem
autem statim subdit, easdem Salomoni
ab Hiromo fuisse redditas, ex 2. *Paral.* 8, 2.
improbabile non est, Grotium existimas-
se, jure antichretico aut pignoris civita-
tes illas Hiromo fuisse traditas. Atquæ
sub alienatione comprehendit Grotius
etiam pignoris dationem. *lib. 2. c. 6. §. 9.*
Num verò in illâ traditione consensus
populi fuerit requisitus, quod vult *Hot-
tomannus* in verbis *Bæclero* citatis, textus
sacer non expressit. Imò reges Hebræ-
orum in rebus saltem plerisque summò
jure imperasse, dubitare nefas, ait Gro-
tius §. 20. n. 1. Ergo exemplum hoc ad
probandam thesin Grotii satis est con-
gruum.

§. 16. n. 2. *Etiam nullus, defectu facul-
tatis*) Non, quòd facultas aliqua juris
majestatici planè extingvatur, quod est
impossibile; Sed quòd majestas tunc non

habeatur plenè, etiamsi imperium habentis maneat summum.

n. 4. *ut tum regno cadat*) Qui fatentur, tempora extitisse olim & adhuc existere, ubi regnum ex voluntate populi deferretur, illi non possunt dubitare de usu huius observationis. Nihil enim ea continet amplius præter exemplum imperii summi, sed temporarii. Et si delatio est in arbitrio populi cum libertate contradictionis, ut possit conferre & non conferre, non debet sanè negari ei libertas contrarietatis, num sic vel aliter, num partem, num totum, num in perpetuum, num in tempus velit conferre.

n. 5. *Talis autem lex commissoria*) De hæc agitur *t. t. ff. de L. Commiss. & C. de pact. int. empt. & vend.* Quò Grotius respexit, cum dixit, locum eam habere posse in regni delatione, sicut in aliis contractibus. Quomodo enim fundus potest vendi sub clausula legis Commissoriæ, ita modus habendi imperium potest imminui adjectâ conditione tali,
per

per quam id temporario non fit absimile. §. 14. n. 4. Nam & lex Commissoria exponi solet *conditio contractus*, uti ex Scholiaste Horatii annotavit Grotius *flor. spars. p. 145.* Non quòd *lex commissoria, pactum commissorium, & conditio contractus* idem ubique significant, aut reciprocè dicantur, sed quòd alterum alterius expositionem adjuvet: quatenus *pactum commissorium*, sive conventio de certâ *conditione*, quâ existente res habeatur pro inemptâ, inter contrahentes habet vim *legis*. Qui paciscitur, pretiò bimâ trimâ die non solutò rem haberi pro inemptâ, is dicit & accipit legem. Qui sub hâc lege emit vendit, is emit vendit sub conditione, quam *Dd.* *resolutivam* vocant. *ex l. 1. ff. d. L. Commiss.* Ergò *pactum & lex commissoria* seu *conditio* non correspiciunt se, ut *causa & effectus*. Godofr. de Jena *ad L. Commiss. th. 4.* Quod verò dicitur: *pacta dare legem contractui*, *l. 7. §. 5. ff. d. pact.* in eò *canone* *lex* non subordinatur pacto, tanquam *effectus causæ*, sed *pacta* contra-

hentium quoad vim obligandi æquivalentur legi publicæ, in iis rebus, ad quas lex scripta propter infinitam varietatem negotiorum forensium non potuit extendi. Nec enim, ait Cujacius *parat. C. de pact. int. empt. & vend.* si quæras, quæ sit venditionis vel locationis vel depositi, vel alterius, forma, possim dare certam atque perpetuam; quòd ea pendeat omnis ex varietate & qualitate pactio- num. Contractum enim formant, & actionem ipsam ex contractu. Nec aliunde factum est, quòd in hac materiâ crebrius fortè occurrat vox legis, quàm pacti. Etsi certum sit, legem commissoriam esse speciem pacti legitimi. *arg. l. 6. ff. de pact.* Add. Vinn. *de pact. c. 4. §. 8.* Cum conditione autem lex non ita solet apud Ictos commutari. Potest sanè conditio pactum ingredi, & super eâ inter contrahentes lex dici; sed habet se tum conditio ut aliquid materiale, super quò voluntas partium ita determinatur, ut fiat pactio. De tali conditione dicitur in *l. 6. §. 2. ff. de contrahend. empt.* eam aliâ pa-
ctioe

ctione immutari posse. Ergò & prior conditio adjecta fuerat per pactionem. Quia nuda conditio neminem obligat. Sic *l. ult. ff. de L. Comm.* fundus non dicitur esse in eâ causâ, ut vindicari debeat ex *conventionem* venditoris, i. e. ex lege commissoriam. Sic in *l. 2. l. 7. l. 8. l. 9. fin. C. de pact. int. empt. & vend.* promiscuè usurpatur vocabulum legis, pacti, & conventionis, non & conditionis. Quod sine causâ non contigit. add. *l. 2. C. de pact. pign.* Et multa possunt allegari pacta, non minus vim legis habentia quàm lex Commisoria, quæ tamen talem conditionem non involvunt. *l. 40. l. 75. de contrab. empt. l. 21. §. pen. d. act. empt. l. 13. pr. Comm. præd. l. 5. l. 9. C. d. pact. int. empt.*

§. 17. n. 1. *Sive per partes, quas vocant potentiales*) Eo sensu, quo Scholastici has partes distinguunt, non putandum est Grotium illorum terminis usum. Quod in hoc opere non est infreqvens. Et nos cum Scriptore ad Herennium indecens arbitramur, controversiam intendere

dere propter nominum mutationem *lib. 2. c. 20. §. 23.* Partes autem potentiales h. l. sunt jura imperii, subjectivæ, provinciæ, quæ reguntur, & regna, quibus imperatur. Ergò hi termini non sunt synonymici : ut possis dicere, *dividi interdum imperium per partes potentiales sive subjectivas, aut, per partes subjectivas sive potentiales.*

nam & naturaliter quisque jus habet cogendi debitorem) sc. ad id, quod debetur ex jure strictè dicto, lib. 2. c. 25. §. 3. n. 4. Sed eò jure uti non licet, quamdiu suum quis per judicium potest obtinere. Ob imperii efficaciam, *lib. 3. c. 2. §. 5. n. 1.*

§. 18. n. 2. Speciali posterioris voluntatis significatione) Sine dubio respicit Grotius ad pr. l. 22. ff. de leg. 3. Ubi Hermogenianus : *Supremam voluntatem testatoris potiore haberi. Sed hoc ita locum habere, si specialiter dixerit, prioris voluntatis sibi pœnituisse.* Omnino existimo, Grotium non ignorasse, quid de ultimis his
ver-

verbis limitativis senserit *Cujacius Obs.* 13, 7. Ea sc. Triboniani esse, non Hermogeniani. Laudat istud opus Cujacii Grotius *lib. 2. c. 3. §. 10. in annot.* Ceterum sicut idem *lib. 3. c. 9. §. 3.* circa similem emendationem Cujacianam *l. 14. ff. d. capt. & postl.* quæ habetur *lib. XI. obs. 33.* dissentit, & quæ verba Cujacius putabat delenda, levi immutatione retineri posse arbitratur; ita dubium non est, quin eadem Grotii mens fuerit de præsentis censura Cujacianâ. Movet me non parùm *pr. l. 14. ff. de leg. 1.* Ubi non *Ulpianus* modò, sed & *Aristo*, & *Celsus*, & *Marcellus* ajunt, *si ita sit adscriptum, si cui legavero bis, semel heres ei dato, vel ut semel debeatur, & eidem duas quantitates adscripserit, vel duos fundos, unum deberi, reliquos autem ademptos esse. Quod autem ademptum est, nec datum videri.* Similem prorsus casum dico extare in *pr. d. l. 22. de leg. 3.* Talis autem est: Testator in principio testamenti adscripsit, *cui bis legavero, semel deberi volo*; postea eodem testamento vel codicillis sciens sæpè eidem legavit

vit

rit. Hic nemo dubitet affirmare, semel tantum deberi: ex ratione, quia reliqua iterum adempta sunt. Sed Hermogenianus respondit: legatario plura legata deberi, quia voluntas suprema potior habetur priore. Dicitis: de voluntate posteriore, & priori contraria, non constare. Quamvis enim testator sciens saepe eidem legasset, id tamen videtur hunc sensum habere: *bis lego, sed sciens, me etiam bis legatum semel tantum deberi velle.* Respondit Hermogenianus: tunc demum legata accipere, *si testator specialiter dixerit; prioris voluntatis sibi poenituisse, atque nunc adeo velle se, ut legatarius plura legata accipiat.* Tunc enim valet Canon: *neminem eam sibi posse legem dicere, ut a priore ei recedere non liceat.* Instat Cujacius: Sufficere voluntatem contrariam, etsi voluntas prior per clausulam derogatoriam non revocetur. Ac verum est, testamentum antequam rumpi per secundum & novum. *lib. 27. C. de testam.* Sed Hermogenianus loquitur hic de testatore in uno eodemque testamen-

to

to vel codicillis legante nunc unum fundum, nunc plures. Hic sanè non sufficit, testatorem, qui præmiserat, *cui bis legavero, semel deberi volo*, arcanâ voluntate, velle, plura legata eidem deberi; Sed hæc voluntas contraria manifestanda est. Aliàs ademptum dicitur, quod datum videbatur. *d. l. 14. de leg. 1.* In dubio enim scriptura semper præfertur conjecturæ. Neque satis est, testatorem scire, quid post mortem suam fieri velit, sed necesse est, heredem id etiam post mortem ejus scire, & legatarium. Similiter itaque in illo casu, quem Grotius hic propriè tangit, ubi sc. testamento priori adjectum, ne testamentum posterius valeat, debet voluntate contrariâ ostendi, voluntatem priorem fuisse mutatam. Ostenditur autem, si vel dixerit testator, *non voluisse prius stare testamentum, vel aliis verbis utendo contrariam aperuerit voluntatem, & hoc vel per testes idoneos vel inter acta manifestaverit. d. l. 27. C. de testam.* Hic totidem penè verbis asseritur: testamentum prius, ejusque clausulam speciali, poste-

posterioris voluntatis significatione tolli posse; (quod vult Grotius) imò additur modus, secundum quem significatio illa fieri debeat. Si iusjurandum in priori testamento intercesserit, nolim cum *Molina* quem citat *D. Simon. h. l.* distingvere inter actum testandi & promittendi. Nam ita jurare, ut tenearis, nisi ipse nolis, per absurdum est, & naturæ iusjurandi contrarium. *lib. 2. c. 14. §. 3.*

§. 21. n. 4. *Quod addit Proculus*) Hoc vult Grotius: Verba *Proculi* in *l. 7. §. fin. ff. de cap. & postl.* posse non unò modò intelligi. Recensetq; quatuor diversas expositiones. Cumque ex illis quartam tantum rejiciat, n. 7. sponte sequitur, reliquas tres nec verbis *Proculi* repugnare nec vero. Ut prima sit: Rei apud Romanos fiunt subditi foederatarum civitatum, si appareat, ab iis peccatum esse contra foedus, nobiscum initum, & civitates illas non puniant, sed dedant. n. 4. Secunda: Rex fiunt ipsæ civitates foederatæ, si nolint stare legibus foederis. n. 5. Tertia: Rei fiunt socii nostri, si ipsi inter se

se litigent, i. e. controversiæ eorum disceptantur apud Romanos, tanquam superiores in fœdere. *n. 6.* Quarta autem sed rejecta: Romanis competere jus cognoscendi, si subditi civitatum fœderatarum de injuriis privatis inter se conquerantur. *n. 7.* Sociis enim curæ sunt non aliæ injuriæ, quàm quæ ipsos mutuò tangunt. *n. 4.* Et ex quo institutæ sunt societates civiles, certum est, rectoribus cujusque speciale quoddam jus in subditos suos quæsitum, quod ipsis à nemine, etiam à socio, non debet adimi. *lib. 2. c. 25. §. 8. n. 1.* Negari non potest, Romanos jura sociorum non eâdem ubique fide custodisse. *Desitum est, ait Cicero, videri quicquam in socios iniquum, cum existisset etiam in cives tanta crudelitas. off. 2.* Sed Proculus, ceterique J. C. Veteres, quoties de jure respondent, non solent respicere, quid Romæ fiat aut factum sit, quàm quid fieri debeat. *arg. l. 12. ff. de off. præf. Conf. Pufendorf. Diss. de system. Civit. §. 16.*

§. 23. n. 2. Quò alter alteri operam pollice-

lice-

licetur) Per operam ex parte vassalli videtur Grotius intelligere fidelitatem, & quæ ex eâ debentur. Ceterum de natura feudi franci, item ligii & non ligii, vid. *Herm. Vultej. de Feud. lib. 1. c. 6. n. 9. seqq. c. 8. n. 20. seqq. Feudum francum esse, ait n. 50. manifestò debet constare ex verbis investitura: idemque ex eo inferunt, cum rei proprietas, sive directum etiam dominium, in accipientem feudum transfertur. Idem tamen c. 10. n. 91. in fin. veritati juris magis arbitratur consentaneum, etiam feudi franci alienationem fieri debere requisitò dominò. Adducuntur ibid. in utramque partem Dd. magnò numero.*



AD LIB. I. CAP. IV.

§. I. n. I.

UT David in partem Isbosethi) Hæc pars Isbosethi opponitur privatis, qui nullò jure Romanis subjiiebantur. Pars autem Isbosethi quamvis jus Davidis regium nondum agnoscebat, imperioque ejus obluetabatur, unctio tamen Davidi facta designabat, in momento mortis Saulis ad ipsum pertinere regnum totius Israël, totius populi, totius hereditatis Domini. *lib. 1. c. 3. §. 8. n. 8.* Hinc justitia armorum regionum adversus refractarios.

§. 3. *Quod verò apud Samuelem est de Jure Regis*) Quòd actiones illæ regis, quas Samuel I, 8, 11. seqq. recenset, possint justæ esse, si cetera sint paria, non existimo dubitasse Grotium: qui domini eminentis usum, ad quem potissima capita juris regii pertinent, toties & tam sedulò inculcavit. Sed fatentur etiam Nostrates, doceri à Samuele officium subditorum,

rum, & necessitatē parendi, sicut vicissim à Mose, *Deut. 17, 14.* officium Regis. Idem ajo asserere h. l. Grotium, quando indicari ait à Samuele non-resistendi obligationem. Ut sensus sit: Jus quidem Regium, quia tale, in dubium non vocari: Sed verba Samuelis tamen potissimum respicere ad incommoda regni, quæ populus ex usu vel abusu juris regii esset persensurus. Ex usu inquam vel abusu. Nam & textus sacer indefinitè loquitur.

§ 4. n. 1. *Quasi ab ipso DEO essent constituta*) Si aliunde constaret, Grotium respexisse ad modum illum specialem, quò judicia populi Ebraei à DEO fuerunt constituta, posset fortè admitti, eò modò judicia reliquorum populorum à DEO non esse, & DEUM imitationem illorum approbasse, non lecus, ac si omnia speciali DEI mandato fuissent ordinata. Sed cum id non appareat, phrasim autem Spiritus Sancti sit planè universalis, necesse haud est, approbationem pro institutione ponere. Adducitur paulò infrà locus *Augustini* de Pilato:

Ta

Talem quippe DEUS dederat illi potestatem, ut esset etiam ipse sub Cæsaris potestate. §. 6. n. 2. Atqui eò modò data Pilato potestas à DEO non fuit, quo Sauli fortè vel Davidi, data tamen divinitus, ex ore Christi.

§. 7. n. 3. *Sed notandum est*) Hâc responsione facilè superfedebimus. Nam & ipse Grotius de socialitate naturali alibi melius philosophatur. Poterat autem ab Adversario postulare verba legis illius divinæ, quæ de casu etiam extremæ necessitatis disertè, atque cum indifferentiâ tum causæ vel negotii, tum formæ Reipublicæ loquatur. Appellatio ordinationis nunc divinæ nunc humanæ, ad casum præsentem nihil facit. Magis urgeri debet generalitas præcepti divini de custodiendâ sanctitate Regis, omnisque potestatis civilis.

ib. n. 7. *Unde & pœnitentiâ tactum Davidem legimus, quòd vestem ejus violasset.*) Si pœnituit Davidem, oram vestis regis abscidisse, quare mox vers. 12. factum hoc suum allegat ipse in argumentum

G

inno-

innocentiæ suæ, quòdque non sit malum in manu ejus, neque prævaricatio? Nam qui abscindere poterat oram vestis, poterat etiam occidere. Et svadebant hoc comites Davidis. *vers. 5. 8. 11.* Sed in abscindendo percutiebat cor Davidem, ut parceret personæ Regis. Imò & Saul laudat id factum, *vers. 18. seqq.* Neque alia fuit ratio ablatae paulò post lanceæ regiæ, & scyphi aquæ. *1. Sam. 26, 8. 11. 23.* Quod ille tentaturus non videbatur, si prioris eum facti adeò pœnituisse. Nam qui lanceam cum scypho poterat tollere, poterat etiam oram vestis denuò abscindere. Utrumque autem fiebat eodem animò.

n. 8. *Illæ quæstio gravior videtur*) Imò ex iisdem principiis resolvenda, ex quibus ea, quæ antecedunt. Nam si verum est, quod concedit Grotius *S. 7. n. 4. & 5.* factum Davidis, & Maccabæorum, eò potissimùm excusari, quòd latebras quæsierint, atque in loca devia secesserint, quærendæ securitati; fanè in regula morum Christianorum,

quæ

quâ præter fugam nihil à Christo con-
 ceditur, *n. 8.* nihil est peculiare, quod
 ad legem novam referri debeat. Quod
 autem *n. 2.* dicitur, in consociatione
 civili primævâ videri exceptum casum
 ultimæ necessitatis, id nudâ conjectu-
 râ, tacitòque reservatò niti nequit. In
 dubio enim videtur potius populus o-
 mne suum imperium Regi & in Regem
 contulisse, quàm excepisse, ut certò
 eventu ei resisti possit. Qui jus suum
 alienat, debet id jus non conjecturâ
 tacitâ, sed pactis imminuere, si velit.
S. 14. Exceptio casûs necessitatis in le-
 ge de Sabbatho, ut & de non come-
 dendis panibus propositionis, aliisque
 cibis vetitis, *num. 1.* ad rem præsentem
 non pertinet. Nam omnes illæ leges
 divinæ communes erant & Regi & sub-
 ditis, ideoque & exceptio necessitatis
 omnibus competebat. Id quod ex
 Mose abundè constat. Lex autem de
 non resistendo fundat ipsum ordinem
 judiciorum DEI. Unde sicut DEO
 nullo casu resisti civiliter nec potest

nec debet, ita nec magistratui, ordinationi DEI.

§. 10. *Verior mihi videtur Jctorum sententia*) Sive statuas, si usufructus extraneo cedatur, nihil agi, etiam ex parte cedentis, & usumfructum ita cessum legitimò demùm tempore ad dominum proprietatis reverti: sive statuas, usumfructum extraneo cessum ipsò jure amitti, & ad proprietarium illicò reverti, utraqve sententia potest applicari ad præsens negotium. Et primam quidem applicat Grotius ipse. Juxta alteram dicendum est cum *Barclajo*: Si rex usufructuarius regnum alienet, aut cedat, amitti ab eo regnum, & populum statim fieri sui juris; non aliter, ac si familia regnatricis extincta, & usufructus morte finitus esset. Ceterum & hîc locum habet, quod in proleg. monebat Grotius: non debere controversias regum & populorum, ex solo Romano Jure ubiqve decidi. Potuerunt enim Romani, ut alibi, ita in doctrina de usufructu ejusque cessione

one

one quædam comminisci, de quibus si lex civilis tacuisset, haud dubiè aliter pronunciaretur. Certè *Arius Pinellus* ausus est scribere: hâc in parte non sine incommodo & detrimento Reipublicæ lapsos videri *Dd.l. ad 1. C. de bon. mat. part. 3. n. 37. & 38.*

§. II. *Quare qui se hostem populi totius profitetur*) Hic non permittitur populo iudicium de animo Regis, sed requiritur, ut Rex ipse animum verè hostilem profiteatur. Quod sicut nec Tyranni solent facere, ita nec favere suspectis consiliis putandus est *Grotius*.

§. 18. *Si diserta autoritas accedat*) nisi scilicet pactio aliqua secuta sit, aut fides invasori data, per §. 16.



AD LIB. I. CAP. V.

§. 1.

U*T in aliis rebus*) Similiter à rebus naturalibus ad ea, quæ voluntate constituuntur, argumentatur Grotius *infra lib. 3. c. 21. §. 4. n. 2.*

Potestas publica, maximè summa) Non simpliciter, *summa*. Ut non excludantur potestates summâ minores. Sanè enim si publicum bellum non aliud dicimus, quàm quod fit jure magistratus, dubium non est, quin talia bella publica sint. *c. 3. §. 5. n. 1.*

Naturaliter quemq; sui juris esse vindicem) Nolim hæc de vindictâ privatâ accipi. Nam & *infra libertatem* naturalem restringit Grotius ad loca, ubi nulla sunt judicia, quæ vindictam privatam omninò tollunt. *2. 20. §. 5. Et cap. 4. §. 2. huj. lib.* disertè opponitur jus resistendi, quod naturaliter, i. e. ante judicia publica, aut iis cessantibus, quisque habet ad arcendam à se injuriam,
ma-

majori illi juri, quod civitati in nos & nostra competit. *Lib. autem 2. c. 25. §. 1. n. 1.* locus præsens sic exponitur: *naturaliter non tantum unusquisque sui juris est executor, sed & alieni.* Nam & §. 2. b. c. incipit: *Sed & alteri prodesse, quod possimus, honestum est.* Adhunc modum exponi ab Eruditorum nonnullis etiam *Platonis* sententiam de communione, non frustra annotavit *Bæclerus p. 309.*


Ideò manus nobis data) Sicut animantibus singulis vires ideò à naturâ sunt attributæ, ut sibi tuendis juvandisque sufficiant. *lib. 1. c. 2. §. 1. n. 4.* Ita homini manus. Sermo est de præsidiis defensionis naturalis. Nemo igitur ex præsentia ejusmodi instrumenti, quale est manus, colligat, magistratum non esse adeundum; qui tamen à DEO constitutus est, ut pœnas vice DEI exigat. *d. c. 2. §. 8. n. 13.*


§. 3. *Illt ea voluntas ab alterâ pendeat*) Hòc sensu *naturaliter* homo hominis, volens volentis instrumentum est, ut & alibi diximus. i. e. *b. l. lib. 3. c. 6. §. 9. n. 1.*
Conf.


Conf. Epsteinii censuram ad Horn. p.
624. pr.

Ita possessio est aliquid) Hanc illatio-
nem ego inverterem, hōc modō: Sicut
possessio non modō relativè dicitur ad
possidentem, sed & tota est ipsius possi-
dentis; ita servus & filius non modō re-
lativè dicuntur ad dominum & pa-
trem, sed etiam ipsorum
sunt.











Fc 2094

Fc 2094^a


S

WDA

11.11.17









CHRISTFRIEDI
WÆCHTLERI
LECTIONUM
GROTIANA-
RUM
LIBER PRIMUS,
Ubi loca extantiora & hætenus
controversa, potissimum in-
spiciuntur.

LIPSIÆ,
Literis JOH. ERICI HAHNI,
clō Idc LXXX.

